Digitized by Google

I. N. J.

DISSERTATIO, 28.

DE

JURE PEREGRINANTIUM

Vom

Recht der Reiſſenden.

Quam

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO

U. J. D. & FROF. ORD.

Ad d. Decembr. M DC LXXX.

Publicæ ventilationi exponit

CHRISTOPHORUS DANIEL Kleſch/

Hungarus.

JENÆ, Typis PAULI EHRICHII. 1713.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
JURE PEREGRINANTIUM.

PROOEMIUM.

NOn una omnium peregrinantium eſt intentio, atque ſcopus. Alii *Studiorum* & *Doctrinæ* cauſa proficiſcuntur in terras alio ſole calentes, ut *Solon* in Ægyptum profectus cum Pſenophe Heliopolita & Sonche Saita in Sacerdote literatiſſimis, in contemplanda egit ſapientia. Plutarch. *in Solone*. Aut *leges addiſcant;* Sic *Lycurgus* in Cretam profectus Thai Muſico & Jurisconſulto conſuetudine ſeſe devinxiſſe tra- :ur. Strabo *lib. 10.* Alii *Medicinæ* cauſa, ſic Hippocrates ›us varias peregrinationes ſuſcepit. Plinius *lib. 29. c. 1.* & ranus *in ejus vita*. Alii *lingvæ* ergò. *Andreas Alpagus Bel- ıenſis Medicus* in Syriam navigabit, ibique per 30. & am- ùs annos commoratus lingvæ Arabicæ, Damaſci operam dit, & non pauca Arabum volumina, & inter ea Avicennæ oque opera in latinum ſermonem convertit. Nicol. Maſſa *vita Avicennæ*. Alii *terras luſtrandi;* Sic Trajanus à bello rthico variis periculis in mari jactatus, cùm Oceani natu-

ram inveſtigare accuratè niteretur, navigantes fortè in Indiam conſpicatus: Utinam (inquit) Juvenis eſſem, viresque ac robur ſuppeterent! profectò in fines Indorum penetrarem. Cuspinianus. Alii *Religionis*: Uti *Magos* non labor itineris, non ſumtus, non pericula deterruere, ſed omnes fortunas neglexêre, ut regem Judæorum humani generis ſolem aſpicerent *Matth* 2. & *Apoſtoli* varias orbis terrarum provincias ſortiti ſunt; Inprimis *Paulus* gentium Doctor de universo orbe opima ſpolia Chriſto Opt. Max. retulit. *Alii ut vitam, ſalutem*, tuentur. Sic *P. Scipio Naſica* ad effugiendam plebis iram, quam ob cædem Tib. Gracchi conceperat, legationis prætextu in Aſiam à Senatu ablegatus, ubi haud multò poſt circa Pergamum fato deceſſit. Sabell. *lib. Enn.* 5. Alii *amoris excutiendi* gratia, quemadmodum Propertius peregrinari inſtituit *lib.* 3.

Magnum iter ad Doctas proficiſci cogor Athenas,
Ut me longa gravi ſolvat amore via.
Creſcit enim aſſiduè ſpectando cura puellæ,
Illa alimenta ſibi maxima præbet amor.

Alii *quæſtus* ſeu *lucri* cauſa; Uti

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Horat.

Alii denique *voluntariè*, alii *coactè* peregrinantur. Quicquid horum ſit: Quilibet ſecum perpenderit illud: *Cui bono?* Hoc certum eſt, peregrinationes ſua habere commoda & incommoda; gloriam, ac dedecus; laudem & vituperium, prout eam prudenter vel temere inſtituant peregrinaturi; Nobis tamen jam animus non eſt tractare modum rectamque rationem peregrinandi, quæ tractatio pertinet ad Philoſophum, inprimis ad Scholam politicorum, in qua operam haud inutiliter collocavit Beatus Dn. Daniel Gruberus Avus meus

ma-

Digitized by Google

maternus poſt fata piè venerandus ſub præſidio celeberrimi Hiſtorici Argentoratenſis D. Berneggeri accuratam ſcripſit Diſſertationem de *Peregrinatione Studioſorum*, quam ob exemplarium defectum typis excudendum curavi, addatur elegans Diſſertat. D. Hermanni Conringii *de Prudentia Peregrinandi.* Sed noſter labor in eo erit poſitus, ut conſideremus, quid juſtum vel injuſtum ſit circa peregrinantes. Sit, annue te Deo,

Thesis I.

Quid Jus. JUS aliàs denotat qualitatem moralem perſonæ competentem ad aliquid juſtè habendum, vel agendum, quæ aliàs dicitur poteſtas, facultas vel licentia, Grotius *d. jur. bell. & pac. lib.* 1 *c.* 1. Heic accipimus pro eo, quod juſtum eſt, ſeu quod jure circa peregrinantes definitum eſt.

Peregrinantes. Th. II. *Peregrinantes* dicuntur, qui peregrè vel peregri abeunt, & proficiſcuntur. Voſſius *d. art. gramm. lib.* 4. *c.* 20. qui abſunt à domo. Peregrinari enim eſt peragrare per regiones & loca aliena Calepin. *in Lexic.* Eo ſenſu Princeps ad alienum locum, cujus non eſt Dominus, vel per alienum ad ſuum proficiſcens dicitur peregrinari.

Peregrinatio. Th. III. *Peregrinatio* variè accipitur, modò ſignificat ipſum actum proficiſcendi, ſive ipſam migrationem ad loca externa proprio relicto; modò ſignificat terminum hujus actus, nempe abſentiam, & in locis externis commorationem. Omnis autem qui in aliena terra peregrinatur, rectè dicitur *Peregrinus*, ſed non vice verſa; poteſt enim peregrinus morari diu in loco, in quo civitatem non habet, neque tamen in actu peregrinandi, qui manere poteſt ſine peregrinitate, verſetur.

Digitized by Google

Peregrinus dicitur etiam is, qui eſt ejusdem provinciæ.

Th. IV. Fieri poteſt, ut peregrinetur quis, qui quidem non eſt ejusdem municipii vel oppidi civis, eſt tamen ejusdem provinciæ, cujus reſpectu dicitur, peregrinus, Magnif. D. Schilter *in diſſert. d. jure peregrin.* §. 11. ſeu, uti Schulz. *Synops. Inſt. ſucceſſ. fisc. lit. I.* habet, *qui in illo loco ubi degit, aut negotiatur, dicitur peregrinus, licet non planè exterus, ſed ejusdem Principis, aut Magiſtratus ſubditus, in diverſis tamen curiis & civitatibus ſubſiſtit.*

Th. V. Jus Peregrinantium conſideramus vel *in genere,* vel *prout ſe præparant Peregrinantes ad iter,* vel *prout ſunt in viâ,* vel *conſiſtunt in diverſorio,* vel *vivunt in alieno territorio,* vel *abſunt ratione ſui domicilii;* ubi tandem adjiciuntur *Affinia* & *Contraria.*

Peregrinantibus jure patet ingreſſus.

Th. VI. *In genere juſtum eſt,* peregrinantibus patefacere ingreſſum: Benè Joſua Acoſta *d. procurat. Ind. Sal. l. 2. c. 13. Peregrinari,* inquit, *cuivis quocunque fas eſt: Nefas verò hoſpitem pacatum, neque lædentem, neque ſuſpectum communi ſolo excludere. Quamobrem leges illæ Chinenſium, quæ capitis ſupplicium in hoſpites injuſſu regis venientes ſtatuunt, iniquæ profectò ſunt, & ab omni humanitate alienæ. Nam ut nihil aliud, innatus certè amor nova diſcendi, atque experiendi jus cuique facit, ut remotiſſima quæque, ſi libeat, oculis atque animo luſtret, quod ad rerum humanarum, atque etiam phyſicarum prudentiam non parum conferre cenſuit Poëta, qui ſagaciſſimi viri laudes exordiens, qui mores hominum, inquit, multorum vidit, & urbes. Itaque hoſtibus, tanquam pœna dignis, aditum ad nos præcludimus, cæteris non item, niſi meritò in ſuſpicionem veniant.* Inprimis cum commercia debeant eſſe libera inter gentes. Grot. *d. jur. bell. & pac. lib. 2. c. 2. §. 18. 19. Deus enim,* inſerente ita Libanio, Rhetore Antiocheno, *non omnia omnibus terræ partibus conceſſit, ſed per regiones dona ſua diſtribuit, quo homines alii aliorum indigentes ope ſocietatem colerent.*

Ita-

Digitized by Google

Itaque mercaturam excitavit, *ut*, *quæ usquam nata ſunt*, *iis communiter frui omnes poſſint.* add. Lanſius *in conſult. p. 8. & 9.*

Th. VII. Reſpectu *præparationis* apud *Magnates* moris eſt per Germaniam antiquiſſimi, ut peregrinaturus, vel per alterius territorium tranſiturus, Dominum hujus hac de re faciat certiorem, absque eo liberum petat tranſitum, niſi aditum ſibi velit præcluſum, ne ab utente metuendus ſit abuſus, quò collimat Elector Saxoniæ apud Hordlederum *de cauſ. bell. germ. c. 8. f. 100.* ibi: Solche Land-Straſſen ſollen von Fürſten oder wenigers Standes-Leuten / ſo der Lands-Obrigkeit an Ihren Regalien und Gerechtigkeiten / und derſelben Gewehr mit ihrem paſſiren ſchädlich / nicht frey ſeyn.

Quid apud Magnates moris ſit, ſi per alterius territorium ſint tranſituri.

Th. VIII. Quid, *ſi nihilominus absque venia tranſeant?* Reſpondet Elector Saxoniæ apud Hordlederum *d. tr. c. 5.* Es iſt in Teutſcher Nation alſo herkommen / daß einer / der mit ſolcher Anzahl reiten will / Geleit nehmen / oder aber gewarten muß / daß er gerechtfertiget werde / und im Feld Beſcheid geben müſſe / das ziehen wir uns auff gemeinen Gebrauch an vielen Orthen Teutſcher Nation. Ratio hujus patet ex verbis ejusdem Electoris apud d. Hordlederum *c. 22.* ibi: Dieweil jede Obrigkeit zu Recht Macht hat / aus billigen Urſachen / einem andern ihr Land und Paß zu verbieten / ſo kan dem andern / dem ſolch Verbot geſchicht / zu Recht nicht gebühren / mit Gewalt und Frevel ſich des Durchzugs zu unterſtehen. Das heiſt aber (inquit Idem *ap. cit. Aut. c. 9.* mit Frevel und Gewalt paſſiret und durchgezogen / oder durchziehen und paſſiren wollen; Da ein Fürſt durch des andern Land reiſen will / und hat demſelben Lands-Fürſten / nach Gewöhnheit des Reichs / zuvor nicht darum begrüſſet / noch angeſucht.

Si nihilominus absque venia tranſeant?

Th. IX.

Digitized by Google

Elector ad novi Imperatoris vel Reg. Rom. electionem proficiſcens iis, à quibus ſalvum conductum expoſcit, tempeſtivè idipſum ſignificare debet.

Th. IX. *Elector* ad novi Imperatoris vel Regis Romanorum electionem proficiſcens iis, à quibus ſalvum conductum expoſcere animum induxit, tempeſtivè idipſum ſignificare, viamque, quà tranſiturus ſit, nominare debet, *Aur. Bull. c. 1.* §. Aber wir wollen / & §. Solche vorgeſchriebene. Si id omiſerit, & viam, & qua tranſiturus eſt, non indicavit, ac damnum poſtea ei contingat, ſufferre debet Myler *in addit. ad Rumelin. ad A. B. c. 1.*

Quilibet peregrinans juxta mores regionis in via procedat.

Th. X. In reliquis quilibet peregrinans juxta mores regionis in vià procedat. Sic per quasdam Italiæ ditiones nulli viatorum ex Germania, Gallia vel aliunde venientium liber commeatus conceditur, niſi vel nomen ſuum edat, vel arma deponat, vel per certum tempus ſubſiſtat, antequam progrediatur D. Fritſchius *tr. d. Regal. viar. jur.*

Peregrinans utitur vel rebus propriis vel alienis. Quid circa equos publicos juris ſit?

Th. XI. Utitur verò peregrinans ad res ſuas vel ſeipſum transportandum vel propriis rebus, puta vehiculo equisve, vel alienis. Si hisce plerumque conducendo, & quidem equis publicis ſeu veredis der Poſt-Pferde/ qui publico nomine foventur Hornigk. *d. jur. poſtar. cap. 6. n. 19.* uti velit, caveat, nemis onerentur, quod prohibet Mandatum Imper. Ferdinandi III. de anno 1642. Daß / die des Poſt-reitens ſich zu bedienen vorhabens / wenn die Bewilligung erfolget / die Roſſe mit Valiſen / ſo über 40. oder meiſtentheils 50. Pfund am Gewicht halten / nicht beſchweren / inmaſſen ſo dann die Poſt-Verwalter und Knechte ſolche fortzuführen nicht ſchuldig ſeyn ſollen/ addat. ex jure veteri *L. 12. C. de curſ. publ.*

Peregrinans non debet equis curſoriis abuti.

Th. XII. Quando *in via* peregrinans eſt, non debet equis curſoriis abuti, inprimis verò tenetur cavere, ne ultra mutationes ducantur, ita Ferdinand. III. promulgavit: Daß niemand wider den gewöhnlichen Poſt-Brauch / zwo / drey / oder mehr Poſten ohne Abwechſelung der Roſſe nehmen ſoll / qui contra fecerit, de damno teneatur.

Th. XIII.

Digitized by Google

Th. XIII. Si equus ejus, qui curſu publico utitur, ſuccumbat in itinere & extinguatur, nulla ipſum ſtringit obligatio, modò curſorem ſemper fuerit ſecutus, aliter atque ſi eum ſubinde præcucurrerit Hornigk. *d. l. c. 18. th. 15.* Cautum quoque eſt Edicto laudatiſſimi Imperat. Ferdinandi, daß ſich männiglich mit ſo übeler Tractirung/ Abmatt- und Ubertreibung der Roſſe gäntzlich und bey Leibes-Straff enthalten ſoll.

Si equus ejus, qui curſu publico utitur, ſuccumbat in itinere, nulla ipſum ſtringit obligatio.

Th. XIV. Peregrinantes, ſi merces ſecum ferunt, profiteri eas debent, & ſi vectigal petatur à publicano, illud ſolvant, quod ſi omittant, eæ in commiſſum cadunt, i. e. res priſtino excidunt dominio, & fisco poteſtas conceditur propter delictum commiſſum pœnam exercendi Franzk. *comment. ad ff. d. Lege Commiſſ.* adeo ut licet moram deinceps, offerendo vectigal, purgare velint, minime tamen audiendi ſint, ſed merces eo non attento fisco committantur *arg. l. 16. §. 3. ff. d. acqu. vel omitt. poſſeſſ.* Non tamen aliter pœna commiſſi locum obtinet, quàm ſi, uti dictum peregrinantes merces non ſint profeſſi. Alioquin ſi profeſſi easdem fuerint, & publicani vectigal non exegerint, aut dilationem & propagationem conceſſerint, eàque tandem effectum, ut vectigal non ſit ſolutum, commiſſi pœna in profitentes exerceri non poteſt: cùm illi profeſſione mercium ſuo ſatisfecerint officio, & publicano, qui id non exegerit, tota culpa adſcribenda, à quo etiam nec non fidejuſſoribus, quibus cautionem initio officii ſuſcepti præſtare adſolent, id repeti deinceps & exigi poteſt *l. 6. §. 12. ff. d. publican.* ſuæ quoque peregrinantes ſatisfecerunt obligationi, ſi offerant merces publicano inſpiciendas, nec pœna commiſſi exerceri poteſt, ſi poſtmodum appareat, majus vectigal pro mercibus transportandis ſolvendum fuiſſe, ſibi enim debet imputare publicanus, quod ipſe has non accuratius inquiſiverit & ſpecificè deſignaverit. Q. *Num peregrinantes ſi non à publicano ad vectigalis ſolutionem exciten-*

Peregrinantes merces profiteri debent, ni velint commiſſi pœnam præſtare.

tentur, pœna commiſſi locum habeat? Affirm. quoniam peregrinantes eo ipſo dum profeſſionem mercium omittunt, committunt culpam, eaque damnum ſentiunt *l. 16. §. 6. ff. d. public.*

Si auguria pedagium non ſolvat an dominus vectorum commiſſi periculum ſuſtineat?

Th. XV. Q. *Si peregrinans res ſuas auriga locaverit, eo vero abſente atque extra culpam poſito ab auriga pedagium non ſolvatur, num dominus mercium ſuſtinere debeat periculum? Neg.* per *l. fin. pr. &* §. *1. de eo per quem factum eſt.* vid. Raphael Cuman. *conſ. 5.* Strach. *tract. d. Nautis. p. 3. q. 1.* Frider. Mindan. *lib. 2. d. mandat. c. 43. n. 17.* ait, rem judicis arbitrium deſiderare.

Num res importari permiſſa, ſi ſimul prohibita inveniantur, indiſtinctè in commiſſum cadant?

Th. XVI. Quando peregrinans ſecum vehit res importari permiſſas & ſimul invehi prohibitas, de ſtricto jure omnes indiſtinctè cadunt in commiſſum *l. 11. §. 2. ff. d. publicanis l. 3. C. d. naut. fœn.* modò merces ſint domini portantis ſive alterius ſcientis & conſentientis Henr. Klock. *d. jur. vectigal. concl. 90. lit. B.* Brunnem. *ad l. 3. C. d. naut. fœnor.* Benignior tamen ſententia uſu recepta eſt, quà merces nimirum munes & prohibitæ tantùm in commiſſum cadunt, Anton. Matth. *tract. d. auction. lib. 2. c. 2. n. 16.* D. Struve *ſyntagm. jur. civ. exerc. 39. th. 50.* Wiſſenbach. *ad tit. d. public. & vectigal. th. 15.*

Ad pœnam commiſſi ſubeundam requiritur profeſſio ſit dolo malo omiſſa.

Th. XVII. Ut autem peregrinantium res in commiſſum cadant, præcisè requiritur, ut profesſio earundem dolo malo ſit omiſſa, & res ſcienter ſint celatæ *l. 8. verb. fraudati l. 16. §. 10. ff. d. publ.* Receſſ. Imper. *d. anno 1530.* §. Wiewohl auch *verb.* fürſetzlich und muthwillig verfahren. Namque ſi ex errore probabili prætermiſſa ſit profesſio rigida commisſio pœna locom non habebit, ſed publicanus duplicato vectigali contentus eſſe debet *l. fin. §. 11. ff. d. publican.* Eadem ratio eſt in ignorantia probabili, ſecus in craſſa & affectata *d. l. fin. §. 10.* ibique Brunnem. Caſp. Klock, *d. contribution.*

tion. c. 19. n. 540. Si pupillus vel minor omiſerint profiteri merces & vectigalia ſolvere, ignoſcendum eſt iis, dummodo intra diem 30. vectigal ſolvendo culpam commiſſam purgent *l. 7. §. 1. l. fin. § 9. ff. d. public.* & dolus abſit *l. 9. §. 5. ff. d. minorib.*

Ignoſcendum pupillo & minori.

Th. XVIII. Equidem conſtat *Studioſos* peregrinantes & ſtudiorum cauſa proficiſcentes ab omnibus oneribus ſive præſtationibus eſſe immunes, ipſoſque neque vectigalia, aut alia onera quæ à viatoribus exiguntur, & fisco publicè penduntur, tenentur præſtare Sichard. *ad auth. habita C. ne filius pro patre n. 7.* Eberh. Speckhan. *cent. 2. claſſ. 1. qu. 9. n. 21.* adeo ut ſi publicanus contra voluntatem Principis, & privilegia Scholarium temeritate & audacia quadam vectigal exegerit, & amisſione privilegiorum, ſi quæ habeat, & jure civitatis privari, & præterea in expenſas, damna, & intereſſe condemnari posſit Quirin. Cubach. *cent. 3. decur. 9. qu. 2.* adeo ut ex mente nonnullorum Studioſus peregrinans non teneatur res ſuas deferre, & publicano indicare D. Richter *ad d. authent. membr. 2.* Dav. Mevius *ad Jus Lubec. p. 2. tit. 3. art. 6. n. 1.* Attamen conſultius ad evitandam circuitionem & altercationem tutius eſt, ſi Studioſus publicano res ſuas profiteatur, idque æquum videtur, cum alias à tranſeuntibus quam facillimè fraus committi posſit, & privilegia regulariter non proſint, niſi allegentur *c. ult. d. præſcript.* nec minus facti ſit, an res prætenſa ſemper gaudeat immunitate, ut proinde veritas utplurimum ex inſpectione ſit inveſtiganda Maſcard. *d. probat. vol. 2. conclus. 834. n. 5.* Paul. Matth. Wehner. *in obſ. practic. ſub. voc.* Zoll *in fin.* Ubi obiter notandum eſt, quod de privilegiis Studioſorum peregrinantium dictum eſt, non debere accipi, ac ſi peregrinatio ſit cauſa principalis, vel finalis, ob quam Imperator privilegia iſta conceſſerit,

Studioſi peregrinantes ab omnibus oneribus & præſtationibus ſunt immunes.

Tutius tamen agunt, ſi res ſuas profiteantur.

 ſed

ſed potiùs occaſio tantùm, vel cauſa impulſiva, quæ licet ceſſet, non tamen ſtatim ceſſat effectus Petr. Gilken. *ad d. Auth. habit. n. 21.* D. Richter. *d. l. part. 2.*

Inhumanum eſt, ſi peregrinantes cogantur res ſuas exponere ſuis jus ſtabula ſit in uſu.

Th. XIX. Inhumanum videtur, ſi peregrinantes ſecum merces advehentes inque alia loca eas transportare volentes cogantur præter morem exponere; Secus eſt ſi vigeat *Jus ſtapulæ* h. e. jus ſiſtendi in ſuo foro ſtringendi que merces in uſu ſit tunc merces prætereuntium revocari in Domini territorialis forum iisque quaſi manus injici poſſunt, idque vel vi ſupremæ poteſtatis, vel ex conceſſione ſpeciali, vel ſingulari emporii & civitatis beneficio, de quo jure vid. D. Stamler. *in tract. de reſervat. Imperat.* §. *61.* D Kühlewein *diſſ. inaug. d. Jure ſtapulæ th. 11.* D. Lauber. *diſquis. Stapulæ Saxonica.*

Publicano competit rei vindicatio.

Th. XX. Circa pœnam commiſſi hoc ſingulare eſt, quòd merces, de quibus vectigal ſolvendum & tranſeuntes non ſint profeſſi, fiſco illius loci committant *l. 14. C. de vectig.* Klock. *d. contribut. c. 19. n. 545. & ſeq.* & publicanus contra quoscunque poſſeſſores res commiſſas perſequi poſſit, cum ipſi competat rei vindicatio *d. l. 14.* & ſic adverſus heredes merces non profitentis actio hæc poſſit intentari *l. 8. ff. eod.* modò heredes rem illam poſſideant, vel lis cum defuncto ſit conteſtata *l. ult. §. pen. ff. eod.* Quæ actio tamen expirat, ſi fiſcus intra *quinquennium* eam non inſtituerit *l. 2. C. de vect. & commiſſ.* & ceſſat, ſi publicanus poſt commiſſum recipiat portorium vel admittat profeſſionem *l. 38. verb. dicebam. ff. d. minor.* vel ſi res ipſa in rerum natura eſſe deſierit *d. l. 2.* ibique Brunnem.

Si peregrinans in loca anguſta incidiat ut currus alteri cedere non poſſit, quid juris?

Th. XXI. Sæpe accidit peregrinantibus, ut in locis anguſtis præprimis montanis adeo arcta ſit via, ut currus alteri cedere non poſſit, niſi alteruter retrocedat, tunc ſtatuit Weichbild / *lib. 2. art. 59.* modum, qui in ejusmodi caſibus debeat obſervari, ibi: der leere Wagen ſoll weichen dem Gelade-

nen/

Digitized by Google

nen/ und der minder geladen iſt / dem ſchweren. Der Reitende ſoll weichen dem Wagen/ und der Gehende dem Reiten / ſind ſie aber auff einer Brücken / und jaget man einen Reitenden / oder einem zu Fuß / ſo ſoll der Wagen ſtill ſtehen / alſo lang / daß ſie mügen hinfür kommen / welcher Wagen erſt auff die Brücke kommt / der ſoll zum erſten hinüber fahren / er ſey leer oder geladen/ vide Zobel. *p. 2. diff. 46. num. 1.* Nicol. von der Hoog. *ſingul. jur. 21.* Ordinat. Noriberg. quâ cautum, ut currui in via regia onuſto cedat vacuus, vel leviùs oneratus; carrus cedat currui; vehiculum meritorium, quo perſonæ ſolùm vehuntur, currui vel vehiculo onuſto; & denique qui ex urbe vehit currus cedat urbem ingreſſuro Magnific. D. Struve in *Juriſpr. Roman. German. lib. 2. tit. 3. th. 9.*

Th. XXII. Experientia hac in re teſtatur vehementiſſimas nonnunquam altercationes, lites & jurgia, ad vulnera usque & cædes oriri, dum ſe mutuò injurioſis & probroſis clamoribus inceſſunt, neuterque obviantium currum vetrò vult ducere Speidel. *in Specul.* verb. Fuhrmann / tunc juri inhærere velle ſemper conſultum non, ſed ſepoſito ejus rigore, & habitâ diſcretionis ratione cedere prudentis eſt, ita ut ei, qui majori onere gravatur, ſæpius parci ſoleat. Dionyſ. Pajan. *ad tit. 13. §. 7. conſuetudin. Bleſen.* & Nicol. Hoch. *in ſingul. jur. ſingul. 21.* *Quid hac in re conſultius ſit.*

Th. XXIII. Cùm peregrinantibus ipsâ ſecuritate ab incurſu hoſtium nihil ſit exoptabilius; Magiſtratibus Leges Romanæ imponunt, ut publica viarum ſit ſecuritas *l. 3. l. 13. ff. d. offic. præſid. l. ne quid. ff. d. incend. ruin. naufr.* & tranſeuntes tutò commeare poſſint, unde ſi via publica impetu fluminis vel ruinâ ſit amiſſa, fiscus ad reparationem hujus debeat numerare pretium *l. 14. ff. eod.* Id quod in navigabilibus etiam procedit, ut nempe ſecuritas præſtetur, aliàs navigatio (cujus finis eſt, ut navis ſalva & incolumis, ſarta tectaque & mediante *Peregrinantibus ſecuritas ab incurſu hoſtium præſtanda eſt.*

 hac

hac perſonæ, merces, omnesque res vecturæ obnoxiæ de loco in locum transvehantur & revehantur, præprimis ut apportatione mercium extranearum ſubveniatur indigentiæ humanæ D. Cramer *diſp. d. navi & navigat. claſſ. 2. §. 17.*) planè redderetur inutilis.

Si peregrinantes injuria afficiantur in via, competunt remedia. Actio injuriarum.

Th. XXIV. Si peregrinantes in via aliquâ injuriâ afficiuntur, (id quod fit vel verbis, vel verberibus aut alio facto illicito,) iis ſubvenitur remediis vel *ad vindicationem injuriæ*, vel *damni reſtitutionem* tendentibus. Ad vindicandam injuriam tendit *Actio injuriarum*, quæ ſi ex edicto Prætoris deſcendit, eſt perſonalis, pœnalis, civilis, famoſa & annua adverſus injuriantem, ad æſtimationem injuriæ injuriato illatam præſtandam *§. 7. 8. & 10. Inſtit. d. injur.*

Judicium criminale. Accuſatio criminis læſæ Majeſtatis.

Si verò ex lege Cornelia provenit, *judicium criminale* eſt, quo injuriatus petit, ut injurians officio judicis extraordinaria pœna coerceatur *l. fin. ff. d. injur.* Inſtitui quoque poteſt *criminis læſæ Majeſtatis accuſatio*, non ſolum, ſi Legatum vel Commiſſarium Cæſaris, vid. Ruland. *d. Commiſſar. p. 1. lib. 3. c. 12. n. 7.* vel Electorem ad Electionis negotium proficiſcentem quis offendat, aut adverſus ſecuritatem ejus quid moliatur *Aur. Bull. tit. 24.* ſed etiam ſi cæterorum Statuum lædatur ſecuritas, cum mediante membro offendatur ipſum caput Imperii & Proceres Imperii ſecuritatem & jus conducendi, quod habent, cum recognitione Imperatoris habeant eique de hoc requiſiti rationem reddere teneantur *arg. Receſſ. Imp. d. anno 1529.* §. und nachdeme / Reinking. *d. reg. ſecul. & eccleſ. l. 1. claſſ. 5. c. 6. n. 183.*

Actio ſuper fracta pace.

Si vis publica, atrox & armata illata ſit peregrinanti, actio ſuper fracta pace publica *ex conſtitutione Imperii à Maximiliano I. promulgata* locum habet, cujus cognitio ad judicium Imperialis Cameræ pertinet Gail. *lib. 1. obſ. 1. n. 2. obſ. 3. n. 1. & lib. 1. d. pac. publ.*

Digitized by Google

publ. Quid, *ſi effectus non ſit ſecutus, an ob conatum fractæ pacis agi poſſit? Affirmat.* Quoniam in atrocioribus delictis conatus habetur pro effectu *l. 5. C. d. Epiſcop. & Cleric.* crimen verò fractæ pacis eſt atrociſſimum, Gail. *d. l. lib. 1. c. 14. num. 9.*

Th. XXV. *Ad damni reſtitutionem* agere poteſt peregrinans læſus vel Rei *vindicatione l. 9. l. 23. princ. ff. d. rei vind.* ſive violator rem poſſideat rem ablatam, ſive dolo deſierit poſſidere *l. 27. §. 3. eod.* imò adverſus tertium bonâ fide poſſidentem ut res abſque refuſione pretii reſtituantur D. Richter. *deciſ. 98.* Ubi notandum: Irrationabilem iſtam conſuetudinem, qua bona abrepta apud raptores comprehenſos inventa fiſco adjudicantur, legibus Imperii eſſe ſublatam vid. *Sanction. Crimin. Carol. V. art. 219. Receſſ. Imper. d. anno 1559. § 55.* D. Tabor. *in racemat. crim. indic. LL. C. ad authent. navigia de furt.* Perez. *C. d. naufrag. n. 29.* vel *condictione ex lege* adverſus Dominum Territorii vel Dominum conducendi, den Land- und Gleits-Herrn / per Receſſ. Imper. d. anno 1559. §. Damit denn die Obrigkeit ibi: Setzen / ordnen und wollen wir / wofern von Churfürſten / Fürſten und Ständen / oder einiger Obrigkeit / die ſey wer ſie wolle / jemand Geleit gegeben / und der jenige darüber auff derſelbigen Churfürſten Fürſten und Ständen oder Obrigkeit Gleit-Straſſen thätlich ergriffen und beſchädigt / daß der Stand / ſo ſolch Geleit gegeben / nach Geſtalt ſolches Geleits / dem Beſchädigten ſeines Schadens Erſtattung zu thun ſchuldig ſeyn ſolle. Quæ actio competit, etiamſi à Principe ſalvus conductus non ſit petitus, vel non negatus; eo ipſo enim dum Princeps peregrinantibus inſontibus permittit tranſire territorium, ſecuritatem, quam poteſt pleniſſimam, ex officii neceſſitate, promittere cenſetur, & quam primum

Rei vindicatio.

Condictio ex Lege.

mum quis ingreditur territorium alicujus Principis, fidei ac
tutelæ iſtius ſe ſuaque committit, ut nefas ſit ſub fide & auto-
ritate Principis aliquem decipere *l. 1. §. ſed & qu. C. d. Latin.*
Q. *libert. toll.* Quid, *num Dominus etiamſi peregrinans ei non*
ſolverit vectigal, ſeu pecuniam, quam vocant Gleitgeld / (*for-*
ſan cùm alius habeat merum & mixtum imperium, alius jus
conducendi) *nihilominus teneatur ad reſtitutionem Domini per*
robbariam in via publicâ illati? Affirmat. Cùm Magiſtra-
tûs officium ſit periculum deprædationis præcavere, quod fit,
ſi exactiſſimâ diligentia prævideat, ne numerus horum nebu-
lonum nimium excreſcat conf. Maul. *d. jure conducend. tit. 7.*
n. 6. n. 9. & ſeq. Nec excuſabit Dominum, ſi aſſerat ſe prohi-
bere non potuiſſe; Facultatem enim habere præſumitur qui
imperium & juriſdictionem habet. Hinc ſi remedia non
adhibeat, prout neceſſitas exigit, conſentire in facta videtur,
& ideo quaſi ex maleficio obligatur *l. in delict. ff. d. noxal. a-*
ction. multò autem magis obligatur dominus ad damni refu-
ſionem, ſi peregrinantes ſecuritatis conſequendæ ratione ali-
quid pendunt & ſolvunt, ex perceptione enim vectigalis vi-
detur percipiens tacitè ſe adſtringere, quòd intra fines ſui ter-
ritorii conducendi ſecuri & ſalvi eſſe debeant *l. nautæ ff. naut.*
caupon. ſtabular. Henr. Klock. *d. jure vectig. th. 77. & ſeq.*
Beſold. *in thes. pract. ſub voc.* Zoll. Facit huc pœna com-
miſſi, quâ omnes merces ob fraudem etiam minimam circa
vectigal facta auferuntur tranſeuntibus; quæ pœna non cor-
reſponderet delicto, niſi Dominus hoc incommodo reſtitu-
tionis afficeretur add. Receſſ. Imper. *d. anno 1555. §.* Nachdem
& *d. anno 1559. §.* Damit denn die Landrecht *lib. 2. art. 27.* D.
Strauch. *Diſſert. exoter. 11. §. 2.* Afflict. *in tit. quæ ſint regal.*
n. 14. Zas. *conſ. 14. vol. 1.* Mynſing. *5. obſ. 70.* Gail. *2. obſ. 64.*
Q. Q. *Si Dominus prætendat negligentiam & culpam officialium,*
num ipſum id juvabit? Negat. Sibi enim imputet, quòd non
dili-

Digitized by Google

diligentiores adhibuerit perſonas Sixtin. *d. Regal. c. 2. n.36.* Mynſing. *l.7.obſ.5.* Q. *Si delinquentes ſuppliciis affecerit, num nihilominus ad reſtitutionem teneatur? Affirm.* Quia non absque culpa eſt, cum ſi in tempore debita remedia adhibuiſſet, res in iſtum caſum non perveniſſet Alber. *2. p. ſtatut. obſ. practic.* Q.

Th. XXVI. Jam jam enumerata remedia competunt, non ſolùm ſi peregrinans pro ſuo tantum corpore ſecuritatem nactus ſit, ſed & ſi famuli & ſervi ejus injuria aliqua afficiantur *arg.* §. *2. Inſt. d. us, & habitat.* & ſive offendatur in itus ſive in reditu *l.5. ff. d. ſepulcher. viol.* non enim ſecurè venit, qui non poteſt ſecurè redire *l.8. ff. ad SC. Trebell.*

Th. XXVII. Si plures fuerint Domini territorii aut juris conducendi, quilibet in ſolidum tenetur *l. in magiſtrat. d. magiſtr. conven.* Par de Puteo *in tr. d. Syndic. in verb. negligentia c.1. n.15.* modò ſit in dolo & culpa lata. Quod ſi verò in levi culpa exiſtit proportione in quemque eorum actio datur *d. l. in magiſtrat.* modò omnes ſolvendo ſint, alioquin ii, qui ſolvendo ſunt, tantùm tenebuntur.

Th. XXVIII. Fallunt tamen præcedenti theſi dicta, ſi peregrinans à ſolita via deflectit & inſolitâ utitur, tunc Dominus ad reſarciendum damnum non tenetur *l. 2. l. 5. C. d. curs. publ. l. 1.* §. *2. ff. d. his qui effud. vel dejec. Gail. d. obſ. 64. n. 11.* ſibi enim imputet peregrinans, quòd aliam viam præter publicam quæſiverit, *l. damnum ff. d. R. J.* niſi & hæc prædationibus ſit infeſta , ut ipſi per loca obliqua fuerit tranſeundem Bernh. Grevæus *d. concl. 64. n. 13.* Nec Dominus territorii tenetur, ſi ob gverram publicam provincia ita ſit repleta militibus, ut ipſe excurſionibus reſiſtere non valeat, ad impoſibilia enim nemo obligatur *l. 185. ff. d. R. J.* Neque tenetur, ſi peregrinans legitimum vectigal defraudaverit Grevæ. *d. concl. 64. n. 6. & 19.* Neque tenetur, ſi peregrinans nocturno

C &in-

Digitized by Google

& inſolito tempore iter fecerit *l. 1. §. 18. ff. d. SC. Silanian. & Claud. arg. l. 2. §. 4. C. d. offic. praf. prator. Afric.* Q. *Si Dominus territorii exhibeat delinquentem vivum, num ad damni reſtitutionem teneatur? Diſtingv.* Aut deliquens eſt ſolvendo, & non tenetur Dominis Territorii *l. 1. ff. d. publican. l. un. §. 5. ff. ſi furt. adver. naut.* Bartol. *in l. 1. §. famil. ff. d. puplic. l. cum exhibuiſſet eod.* Bald. *conſil. 203. n. 3. v. 1.* Raphael. Cuman. *in l. ſi poſt. C. d. aſſeſſor.* aut non eſt ſolvendo, & tunc Dominus in ſubſidium tenetur *arg. tit. ff. d. magiſtrat. conven.* Lucas de Curt. *conſil. 62. n. 17. v. 2. conſil. crimin.* Non tamen eſt electio hic damni paſſi, utrùm Dominum, an deprædatorem convenire velit Panſchman. *in reſpons. d. expugnat. adium qu. 1. poſt n. 244.* iſta enim electio non procedit, ſi quis in officio publico conſtitutos convenire velit Bartol. ad *d. l. 1. §. famil. ff. d. public.* Aug. Berous *qu. 39. n. 3.* Q. *An Dominus à praſtatione damni tutus ſit, ſi peregrinans ſpoliatus olim deprædatorem injuria affecerit?* Negant. Burſat. *conſil. 138. n. 64.* Gramm. *decis. 71. n. 16.* Marian. Socin. *conſil. 68. n. 147.* Roman. *ſingul. 29.* Alexand. *conſil. 84.*

Judæis peregrinantibus & deprædatis quatenus Dominus territorii teneatur.

Th. XXIX. Judæis quoque peregrinantibus & in via offenſis aut deprædatis Dominus territorii ad reſarciendum damnum tenetur, cum ii quoque ſint in tutela, niſi tranſeant per alicujus ſtatus territorium, in quo aliàs non tolerantur, tunc, niſi ſpeciatim ſecuritatem obtinuerint, tanquam hoſtes jure offendi & bona ipſorum deprædari poſſunt *l. 6. C. d. pagan. Ricc. in collect. an. 2639.* D. Fritſch. *d. via public. cap. 8. n. 8.* Adeo ut nec literæ ſecuritatis alicujus tertii judæo quicquam proſint. Mylerus *d. Statib. Imper. part. 2. cap. 59. th. ult.*

Probanda eſt læſio, quæ fit vel per juramentum, vel per teſtes.

Th. XXX. Probanda autem eſt læſio & damnum liquitandum à peregrinantibus damnificatis, qualis damni dati probatio æquè per juramentum Corn. *conſil. 118. n. 7. verſ. 4.* ac per teſtes fieri poteſt Jaſon. *in l. ſi quando C. unde vi.* Beuſt.

d. ju-

l. jurejur. n.170. & tunc teſtes familiares & ſocii ex ſpecialitate liqua admittuntur Cravett. *conſil.166.*

Th. XXXI. Quando peregrinans in via rem quandam nvenit, quæ fortuitò ſit amiſſa, eam debito receptoque nodo debet indicare, neque expectare, donec Dominus inquirat aut ſuperveniat, ne ei ex *c. ſiquid. invenisti 6. cauſ. 14.* *.5.* objiciatur: *quantum non potuiſti, (ſc. occultando) in tuum ommodum feciſti;* inprimis ſi dominum ignoret, rem ad Magiſtratum iſtius loci deferat ac denunciet, quo in loco publico proclametur Mev. *ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 1. art. 9. n. fin.* dque fieri ſolet vel ex ſuggeſtu Harprecht *ad §. fin. Inſt. d. er. div. n. 8.* vel per Præconem; qualis lex apud Judæos ſanita olim fuit referente Joſepho *lib. 4. antiqu. judaicar.* cujus erba hæc fuerunt: *Si quis aurum & argentum in via invenerit, quærat eum, qui perdidit, per præconem, indicato loco, in quo invenit, reddatque ei, ſciens, non eſſe bonum, ex alieno damno lucrum facere,* aut juxta loci conſuetudinem procedat; d quod ſi negligit, & inſuper clam habet rem inventam, camque celat, exinde furti ſuſpectus fieri poteſt Mev. *ad Jus Lub. d. l. fin.* ut nec juratæ ejus aſſertioni, quòd animo non ucrandi eandem ſuſtulerit, credatur Menoch. *5. præſumt. 30. n. 11.* quamvis multi ſunt qui ſibi imaginantur, rem eo modo nventam ſine offendiculo conſcientiæ retineri poſſe; aſt in perſuaſione ſua peccant, referente Hieronymo *in c. 8. cauſ. 14. qu. 5.* ubi ita loquitur: *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod invenerant, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit, cui habeo reddere? Diſcant ergo peccatum hoc eſſe, ſimile rapinæ, ſi quis inventa non reddat.* add. Carpzov. *practic. criminn. quæſt. 86. n. 9. & 16.* ubi deducit, quod, utut jure civili civilis furti actio obtineat, moribus tamen noſtris capitalis furti pœna, lequei nempe, adverſus occultatem non habeat locum, ſed extraordinaria, cum minus ſit, occultare rem,

Peregr. in via rem inveniens debet eam indicare.

Si rem inventam clam habeat furti reus eſt.

quam

Digitized by Google

quam domino poſſidenti rem hoc animo ſurripere Treuler. *vol. 2. diſp. 20. th. 2.* Æſtimandi tamen ſunt doli gradus. Nam minus eſt rem inventam, cujus dominus adhuc ignoratur, nemini indicare: amplius, publicâ, de amiſſione & indicatione facienda, proclamatione facta, ut fieri ſolet, inventionem demum manifeſtare quidem domino, ſed partem tamen occultare & partem ſolummodò reſtituere; plus, planè non indicare: maximum verò Domino interroganti in totum negare à ſe inventam eſſe. Juxta quos malitiæ gradus attemperanda eſt pœna vid. Carpzov. *d. l. n. 11. & ſeqq.*

Peregrinans in diverſorio.

Th. XXXII. Hactenus contemplati ſumus peregrinantem in via hærentem, jam eum intueamur, in *diverſorio l. hoſpitio* conſiſtentem. Ei hoſpitium facilè non eſt denegandum, cum abſque illo peregrinans aut planè non, aut vix commodè vivere poſſit. Sic Reipublicæ intereſt habere hoſpitia publica pro peregrinantibus, quo noctu vel interdiu divertant per *text. in l. 1. l. nauta ff. naut. caup. ſtabul.* Solent autem hoſpitia mercenaria publicam hederam habere ein ausgehenckt Schild / quamvis ſigna iſta non videantur eſſe de publicorum hoſpitiorum eſſentia, quaſi hi tantummodo cogi poſſint ad recipiendos hoſpites; Peregrinans ab eo qui publicum diverſorium aperuit, der einen offenen Schild ausgehencket jure petere poteſt hoſpitium, hic enim invitus recipere tenetur *l. 1.* & ibi Bartol. *ff. naut. caupon.* Speckhan. *cent. 1. qu. 23. n. 3.* rationem reddit Bonifacius *d. furt. §. 8. n. 18. 19. & 20.* quòd cauponum, hoſpitumque inſignia, ſolis, ſtellæ; ſuſpenſæ hederæ, & ſimilia manifeſta ſint invitamenta, & perinde ſit ac ſi expreſſe invitarent peregrinantes. Hinc etiam Hospes talis græcè dicitur πάνδοχος quod omnes recipiat, quod tamen in eo fallit, ſi multitudo divertentium receptionem aliorum non patitur, peregrinantes repellere poteſt, idque exemplo Notariorum & Tabellionum, qui propter multitu-

titudinem requirentium, vel occupationum rectè excuſantur, licet alias ex obligatione profesſionis ad inſtrumenta cuiris petenti conficienda cogi posſint D. Tabor *d. metat. p. 98.* Peck *ad l. 1. §. 1. ff. nautæ n. 7.*

Th. XXXIII. Hoſpes activus peregrinantem non ſolùm blandè ac humaniter excipiat, ſed etiam ſi ignotus ſit ſolicitè inquirat in perſonam adventanti, cujus conditionis ac ſtatus ſit, ne fortè hoſtis Reipublicæ, aut proditor, vel maleficii notarii reus impunè tranſeat vid. Mevius *ad Jus Lubecens. lib. 1. tit. 2. art. 2. n. 20.* Ac nomina peregrinantium magiſtratui ſignificet & ſuſpectos deferat vid. Edictum von der Blackerey d. anno 1571. idque publica lege ut injungatur, cùm dicente Contio *lib. 7. politicor. cap. 20.* § 8. multarum urbium corruptelæ ex cauponarum incuria oriantur, cùm in ea loca fex civitatum confluat & vitia ſeſe primum extendant illis in locis, ubi lucro ſunt fautoribus. Sic hoſpitio non ſunt recipiendi *Pacis publicæ Rei*, *Rebelles*, *Banniti*, *Latrones*, *Fures*, *Abigei*, *Impoſtores*, *Saccularii* vulgò Beutelſchneider / *Aleatores*, *Scortatores & Meretrices*, *Blaſphematores*, *Zingari*, *Mendicantes validi*, *Otioſi & Errones*. Item qui contagioſo morbo laborant Speckhan. *cent. 1. qu. 10. num. 10.* Becht. *d. ſecurit. publ. cap. 4. n. 137.* Et qui tales perſonas recipiunt, Receptatores potius, quam Hoſpites dicendi ſunt, ipſisque delinquentibus æquiparantur, modò ſcientes receptent Roman. *conſil. 427.* & inquirendo in perſonam adventantis inquiſiverint, & ſic culpam non admiſerint, *arg. l. ult. §. ult. ff. furt. adv. naut.* vel celandi animo.

Hoſpes activus in peregrinantium conditionem inquirat, eòsque indicet Magiſtratui.

Th. XXXIV. Activo hoſpiti vitio vertendum non eſt, ſi ut modò dictum in conditionem pasſivi inquirat ejusque reſponſionem ſollicitet ac urgeat, cum hoſpes ille activus factum peregrinantium præſtare & alia incommoda multa perferre debeat, *l. 2. ff. naut. caup. ſtabular.* Quando verò con-

Hoſpes poteſt cogi ad recipiendum peregrinantes.

ſtat vel probatur peregrinantes viros honeſtos eſſe, ut contra ipſos excipi nequeat, diverſorium illis negari non licet, alias ſi id recuſaretur, hoſpites activi cogi poſſunt ad recipiendum, *l. unic.* §. *6. ff. furt. adverſ. naut. caup.* Decius *ad l. 156. ff. d. R. J.* imò ſic hoſpes publicum ſine juſta & legitima cauſa hoſpitium denegare fuerit auſus ad pœnam Magiſtratui obligatur, uti ex *Marchion. Brandenburg. ordinat. polit. art. 3. in fin.* conſtat ibi: Welcher Gaſtwirth nicht geſchickt wäre ſeine Gäſte zu bewirthen / oder ſich des Herbergens weigern würde / ſoll uns 10. fl. zur Straffe verfallen ſeyn.

Hoſpes debet peregrinantis pernam defendere.

Th. XXXV. Eo ipſo dum hoſpes activus hoſpitio recipit peregrinantem illius cuſtodiam ut tutus ſit in hoſpitio ſuſcipere videtur, ut ipſum debeat ab omni injuria & violentia defendere Mund. *p. 2. conſid. 46. n. 8.* Landrecht *lib. 3. art. 78. & arg. c. non inferenda 23. qu. 3. & c. offerebat. 32. q. 1.* Gryphiander *Oecon. legal. l. 28. n. 64. & ſeq.* qualis defenſio circa quemlibet extraneum cum ſit conſtituta, multo magis pro domeſtico & hoſpite exigetur Franciſc. Zoanet *in tract. d. defens. part. 1. n. 56. 94.* Et ſi tenetur de damno *in rebus* hoſpitis, de quo vid. th. 38. multò magis de damno dato in *perſona* Alciat. *reg. 3. præſumt. 40. n. 4.* junge Rebuff. *in Conſtitut. Reg. tr. d. hoſpitibus n. 7.* Hinc caupo tenetur de homicidio in caupona commiſſo, & delictum debet revelare, ſiquidem ſuſpicionem pravæ ſocietatis & fœdæ receptationis vitare velit Zanger. *in tract. d. tortur. c. 2. n. 135.* Mevius *ad Jus Lubecens. lib. 4. art. 6.*

Hoſpes peregrinantem ne duriter tractet.

Th. XXXVI. Hoſpes activus non ſolùm peregrinantem comiter ſuſcipiat, ſed ipſi etiam de cibo potu, fœno, ſtramine &c. proſpiciat, & commodo apparatu dignitatem perſonæ ob oculos habente *arg. l. 14. ff. d. ann. legat.* in tractatione ejus utatur. Gryph. *Oecon. legal. l. 28. num. 46. & 49.* neque illiciti lucri cauſa ipſi parcè ac duriter cibum exhibeat, careque omnia computeret; ſed neceſſaria æquo pretio exhibeat,

hibeat, ne devorare divertentem apud ſe, ut loquitut Rebuff. *ad Conſtit. Regn. tr. d. hoſpitib. n. 15.* aut rapax, & inhians lucro iniquo dicatur Chaſſian. *in catal. glor. mund. part. 11. conſ. 16. in pr.* Prudenter facit Magiſtratus pro prandio certum pretium hoſpitibus denominando, ne pro libidine & avaritia hoſpitum nummis peregrinantes emungantur Klock. *tract. d. ærar. p. 2. cap. 59. n. 1.* addatur omnino Receſſ. Imper. *d. anno* 1536. Reformation guter Policeyen tit. von theuer Zehren bey den Wirthen.

Th. XXXVII. In Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris *cap. 1. §. 3.* ii, qui Electoribus, aut eorum Legatis ad electionem novi Romanorum Regis proficiſcentibus, hoſpitia denegant, aut victualia in communi pretio vendere detrectant, Bannum & proſcriptionem Imperii incurrere dicuntur, ibi: *Decernentes inſuper & mandantes, ut omnium civitatum cives & communia jam dictis Principibus Electoribus & eorum cuilibet hoc poſcenti eorumque nunciis, victualia in communi pretio atque curſu pro ſuis, ſeu nunciorum prædictorum hominum ſuorum neceſſitatibus, dum ad prædictam civitatem cauſa celebrandæ electionis prædictæ acceſſerint, ac etiam dum diſceſſerint ab eadem vendere ſeu vendi facere teneantur; nullam in præmiſſis fraudem quomodolibet adhibendo. Alioquin contrarium facientes, pœnas voluimus ipſo facto incurrere, quas in præcedentibus contra cives & communitates duximus promulgandas.* *In A. B. quid ſtatutum.*

Th. XXXVIII. Et quamvis ſaltem pro cibo, potu, & ut patiantur hoſpites activi peregrinantes in diverſorio manere, non pro cuſtodia rerum mercedem accipiant, nihilominus iſti horum res illatas cuſtodire tenentur *l. 1. l. 3. §. ult. l. 5. ff. naut. caupon. ſtabul.* Neque opus eſt ut adventantes expreſſe cuſtodiæ hoſpitum res aſſignent, tradantque illisque demonſtrent, has vel illas res eſſe ſuas & ſic petant cuſtodiam, *Hoſpes tenetur res hoſpitio illator cuſtodire.*

diam, *per l. 9. l. 3. ibi: quid enim intereſt, inferantur volente eo in domum ejus an ei tradantur ff. d. jur. dot.* Barthol. Bertazol. *lib. 1. conſ. crimin. 68. n. 1. & conſ. 160. n. 13.* Maſcard. *d. probat. conclus. 833. n. 14.* Barbat. *conſil. 53. num. 26. vol. 1.* Habentur enim pro rebus receptis, ſi ſolum immiſſæ, aut illatæ ſunt in diverſorium *d. l. 1.* Licet æquitatis ratio poſtulare videatur, ut ſciat hoſpes, res immiſſæ ſint, nec ne, Hahn. *add. l. n. 5.* Carpz. *p. 26. c. 2. d. 20.* Idque teſte Regner. Sixtino *vol. 3. conſil. Marpurg. 7. n. 91.* ubivis ferè gentium moribus & conſuetudine receptum, ut ea, quorum cuſtodiam alii commiſſam velint peregrinantes apud hoſpitem ſingulariter cuſtodiendi gratia deponantur, quod tamen neceſſitatis eſſe non videtur, ſed ſufficit, ſi hoſpes activus rerum illatarum generalem habeat ſcientiam, ut teneatur de iis hoſpes, non ſpecialem, quales nimirum, cujus qualitatis ac quantitatis res illæ ſint Bald. *in l. 5. C. locat.* Bertazol. *lib. 2. conſ. 213.*

Quid juris ſi hoſpes activus proteſtetur ſe nolle rem à peregrinante in diverſor. illatam ſervare?

Th. XXXIX. Quando hoſpes activus *proteſtatur*, ſe nolle rem à peregrinante in diverſorium illatas ſervare, & hoſpes paſſivus proteſtationi conſentit, (ſufficit tacitè Loccen. *d. jure maritim. lib. 3. c. 7. n. 12.*) à periculo liberatur *l. ult. pr. ff. naut. caupon.* Carpz. *d. l.* utrumque autem concurrere debet *l. ult. pr. circ. fin. ff. naut. caup.* Alexand. *in l. 1. § 6. ff. d. nov. oper. nunciat.* modò proteſtatio facta ſit poſt receptionem, ſi enim ante receptionem, ſola ſufficit ſine peregrinantis conſenſu Bart. *in l. 7. ff. naut. caup.* Si vero viator proteſtationi conſentire non vult, nihilominus hoſpes tenetur propter obligationem, quæ oritur ex quaſi contractu *arg. l. 1. §. fin. ff. d. t.* Neque liberatur à cuſtodia, quamvis claves hoſpiti paſſivo dederit, non enim qui rerum ſuarum cuſtodiam ſuſcepit ipſemet, ut diligentem patremfamilias decet, remiſiſſe ſtatim hac vigilantia alteri officium ac obligationem ſuam cenſetur *arg. l. 5. §. 14. ff. commod.* niſi ſimul de omni pe-

Digitized by Google

riculo proteſtatus ſit Schneidew. *ad* §. *Inſt. d. oblig. quæ ex qs. delict. naſc. n. 4.* & Plotus *d. in lit. jurand.* §. *10. n. 10.* ait: *Caupo, dando claves Cameræ, non liberatur à cuſtodia.* Accurſius quidem ſimplici ac nudæ clavium traditioni, initio factæ, hunc tribuit effectum, ut hoſpes de leviſſima culpa non teneatur ad *l. fin.* §. *1. ff. naut. caup.* quod ipſum etiam arridet Sichardo *ad l. 1. C. locati n. 9.* Aſt Baldus *ad eandem l. fin.* §. *item ſi prædixerit n. 2.* ait: Gloſſam eam modificationem ex ſuo adjicere capite, non verò probare per legem *& in rubr. C. depoſiti & in l. 4. C. locati* Maſcard. *d. probat. concluſ. 833. n. 13. 14.* diſtingv. Ut ſi ab initio traditis clavibus cum proteſtatione periculum hoſpes activus à ſe rejecerit, minimè teneatur, absque hac verò proteſtatione verò teneatur; præſumi enim traditionem clavium eſſe factam, ut poſſit viator res ſuas, quandocunque voluerit, eò promtius & commodius recipere. In Gallia obſervantiam eſſe, ut ſi hoſpes peregrinanti claves tradat, à cuſtodia ſimpliciter liberetur teſtatur Chopinus *lib. 2. ad Conſuetudin. Pariſiens. tit. 8. & lib. 3. tit. 3.*

Th. XXXX. Caſum tamen fortuitum rerum immiſſarum quæ ſunt peregrinantium non præſtat hoſpes activus *l. 3.* §. *1.* Plotus *de jurejur. in lit.* §. *10. num. 8.* Stamm. *d. ſervit. perſon. lib. 2. c.* 14. *n. 18.* quia ejusmodi caſum nemo præſtare cogitur, niſi expreſſe ſe ad illum obligaverit *l. 5.* §. *ult. ff. commod. l. 23. d. R. J.* Qua ratione tempore publici tumultus ob monetarum depravationem Magdeburgi aliquando exorti, abſolvendos eſſe caupones conſuluit Klock. *vol. 3. conſil. 135. n. 22. & ſeqq.* quorſum referas, ſi furtum ab alio quodam extraneo & ſummè ignoto ſit commiſſum, v. g. ſi equum de nocte effractis foribus ſurreptus ſit, quo caſu hoſpes activus non tenebitur Angel. *conſil.* 112. *n. 2.* modò equum in eo ſtabulo, ubi ſuos equos habere conſuevit, ſtabulari juſſit ac commendavit, aut alias in ſtabulo pro hoſpitibus ſecuro & ſolito, Menoch.

Hoſpes activus caſum fortuitum non præſtat.

noch. *conſil.352. n.12.* Grivel. *Seq. Dolan. Senat. deciſ. 49. per tot.* adde Chriſtin. *vol.5. deciſ.65.* & Stypman. *d. jur. marit. lib. 4. c.15. n.246.* Neque Hoſpes tenetur, ſi culpa ipſius peregrinantis ſit amiſſa vel deteriorata Zaſ. *in paratit. ff. naut. caup. n.13.* vel ſaltem ſi concurrat culpa ejus Stamm. *d. ſervit. perſon. lib. 2. c.14. n.15.* ut ſi fortè valliſium in ſtabulo ſuper dorſo equi, aut pallium, pileum in cauponæ areâ, aliamve rem in loco non ſatis congruo reliquerit, vel ſimilibus modis negligentiam commiſerit Menoch. *d. arb. jud. quæſt. caſ. 308.* Plotus *d. in lit. jur. n.10. §.10.*

Præſtat hoſpes activus facta familiæ ſuæ.

Th. XXXXI. Præſtat etiam hoſpes activus facta familiæ ſuæ, ſeu ſi incommodum ſit illatum peregrinanti in ipſius hoſpitio commoranti, non ſolùm ſi miniſtri in officio, cui præpoſiti ſunt, veluti ſi ſtabularius in ſtabulo vel coquus in culina Luber. *d. incendio cap.5. n.60.* Sed etiam ſi extra officium contra ſecuritatem peregrinantium, & rerum eorundem aliquid admiſerint v.g. ſi furtum ſit commiſſum ab ipſius domeſticis & familiaribus licet neſciente & conſentiente hoſpite, quia has ſibi elegit, ergo & eorum delicto tenetur *l. unic. pr. & §.2. ff. furt. adverſ. naut. caupon.* & ex ipſo cauponationis exercitio ad reſtituendum res receptas indiſtinctè ſit obligatus, ſolo caſu fatali & vi majore exceptâ *l.3. §.1. ff. naut. caup.* Farinac. *qu. crim. 110. n.124.*

Peregr. debent eſſe grati.

Th. XXXXII. Debent autem peregrinantes in diverſorio divertentes eſſe grati, neque detrectent pretium pro prandio, cœna, ſtramine, pro hoſpitatione & ſervitiis ſolvere, aliàs hoſpes activus habet *jus retenſionis*, ſive res peregrinantis, quantæ ſufficiunt ad exſolutionem, propria authoritate pignoris loco detinere poteſt, D. Carpz. *p.2. c.25. def.22. n.5. & ſeqq.* D. Richter. *deciſ. n.34.* nemini enim officium ſuum facilè damnoſum, neque incommodum absque commodo ſemper eſſe debet, præſertim cum ſine impendiis hoſpi-

Digitized by Google

ſpitatura exerceri nequeat *l.1.l.nauta ff.naut.caupon.* neque obſtat dignitas perſonæ, prout reſp. Dnn. JCti Jenenſes teſte D. Richter *d.t.n.39.* ibi: Wenn gleich der Gaſt ein ehrlicher vornehmer Mann/ und eine graduirte Perſon/dennoch aber ſoferne er dem Wirthe unbekandt / der Wirth auch um ſeine eigene Gelegenheit keine eigentliche Wiſſenſchafft träget / ſo iſt mehr gemeldter Gaſt vor allen Dingen annehmliche caution wegen der Zahlung dem Wirthe zu beſtellen ſchuldig/in Verwegerung und Verbleibung deſſen / iſt der Wirth alles eures und des Gaſtes Vorwendens und allegirten Rechts-Grunden ungeachtet/nicht alleine des Kutſchers Pferde und Wagen / ſondern auch des Gaſtes Zeug und Laden propria authoritate zu hem̃en wohl befugt/ es hätte denn der Gaſt beſſere und erhebliche motiven, fundamenta und Rechts-Gründe anzuzeigen/auff ſolchen Fall ergienge ferner was Recht iſt/ V.R.W. Poteſt etiam hoſpes activus pro pretio & conſumtis Peregrinantem *arreſtare* Petr. Beck. *d.jur.ſiſtend.c.3.n.2.* quia hoſpites fidem de pretio habere non cenſentur D.Richter *d.privileg.Credit.cap.4.ſect.ult.* D. Carpzov. *p.1.c.30.def.18.* Et ſi peregrinanti in diverſorio ægrotanti impenſas fecerit & ſumptus in curam ipſius, in concurſu Creditorum prælatione gaudet *l.4.C.d.petit.hered.l.3.C.d.relig.*

Quando inter peregrin. & hoſpitem activum eſt controverſia, quomodo procedatur.

Th. XXXXIII. Quando forſan inter peregrinantem & hoſpitem activum controverſia incideret, iſta coram judice die extraordinario expediuntur, & præfixis terminis breviſſimis plerumque ad ſummum trium dierum, nonnunquam de die in diem dilationes conceduntur. Coler. *d.proceſſ.executiv.p.3.c.6.* Mevius *ad Jus Lubecens. lib.3. pag.5. tit.1. art.1. n.51.52. & ſeqq.* In nonnullis locis citiſſimi judicii genus in favorem peregrinantium introductum eſt, quod vocant das Gaſt-Recht/vid. Beſold. *in theſaur. practic.* verb. Gaſt-Recht/ Denn an vielen Orthen auff Anruffen der Partheyen der Frembden gegen Frembde / oder auch eingeſeſſenen Unterthanen in Fäl-

len/ da die Sachen keinen Verzug / oder ordentlichen Proceſs leiden/ ſonderlich in Gewerbs und andern Ehehafften / Handlungen/ Gaſtrecht/ oder Kauffgericht zu halten/ geſtattet und zugelaſſen wird/ Wehner *in obſerv. theoret. pract. ead. voc.*

Peregrinantes regulariter pari cum incolis conditione gaudent.

Th. XXXXIV. Peregrinantes tanquam in *alieno territorio* extra vias tamen & diverſorium *viventes* in iis, quæ juris gentium ſunt, regulariter pari cum incolis & civibus conditione gaudent; ſervanda enim eſt in ſocietate humana communitas omnium rerum quæ ad communem hominum uſum genuit natura. Quippe quod ſine detrimento proprio accommodari poteſt id tribuatur vel ignoto, inquit Cicero *lib. 1. officii.* Niſi eorum utilitatis publicæ cauſa facta ſit prohibitio; Sicuti Hamburgenſes & Lubecenſes inter exteros ad ſe venientes commercia non permittunt, exceptis paucis; Mæv. *ad Jus Lubecens. lib. 3. tit. 6. art. 8.*

Non obligantur ſtatutis.

Th. XXXXV. Statutis aliorum peregrinantes non obligari commune eſt axioma Ruland. à Valle *conſil. 49.* Coler. *d. proceſſ. execut. p. 1. c. 3.* Actus enim jurisdictionis, cujusmodi eſt ſtatutum, ultra ſubditos ſe non extendit, cum extra territorium & homines iſti ſubjectos jus dicenti impune non pareatur *l. ult. ff. d. jurisdict.* cui conſequens eſt, quod ſtatuta & jura municipalia in iis locis jus civile ſint, Felin. *in c. cum non liceat* 12. *n.* 10. *X. d. præſcript.* & juris communis autoritatem habeant Panormitan. *in c. paſtoralis 8. n. 2. x. d. fide inſtrumentor.* Quare, ſicut jus civile non niſi cives Romanos obligat § *1. Inſtit. d. jur. nat. gent. & civil.* ita nec ſtatutum alicujus provinciæ vel civitatis homines extraneos, qui incolæ non ſunt, conſtringere poteſt Bald. *in l. cunctos populos n. 3. & n. 8. C. d. ſumma Trinit.*

Limitatur, ſi quid circa actus negotiive ſolennia diſponitur.

Th. XXXXVI. Quæ jamjam dicta ſunt, ea non abſolutè ſeu univerſaliter vera ſunt; Si enim quid circa actus alicujus negotiive ſolennia diſponitur, illud præciſè obſervandum

Digitized by Google

dum eſt. Sic ratione *Contractuum* quis obſtringit ſe alteri ad dandum vel faciendum quid in eo loco, ubi tunc commoratur, ut proinde hactenus Magiſtratui civili obligetur; Videtur enim ipſo contractu elegiſſe omnia ea, quæ circa contractum in ejusmodi civitate ſunt fieri ſolita. Poteſt enim ibidem loci conveniri, actionibus urgeri, & cogi ad id à Magiſtratu, cujus jurisdictioni & legibus ſe contractus cauſa ſubmiſit, Coler. *d. proceſſ. executiv. part. 2. c. 1. n. 4.* Wurmſer. *lib. 1. tit. 6. obſ. 18. & 19.*

Si litem movet alicui ſtatuto loci ſe ſubjicit.

Th. XXXXVII. Si peregrinans *litem cuipiam movet*, jurisdictioni & ſtatuto alicujus loci, ubi verſatur ſe ſubjicit; Statutum enim in iis quæ litis ordinationem & proceſſum judiciarium ſpectant, ſemper attendendum eſt, tam ratione ſolennium proceſſus, quàm reſpectu eorum, quæ judiciorum ordinem & inſtructionem ſpectant *l. 3. §. fin. ff. d. teſtib.* quia ſtylus curiæ pro lege ſervandus *c. ex literis 11. x. d. conſtitut.*

Si teſtamentum facit.

Th. XXXXVIII. Si peregrinans in peregrino territorio *teſtamentum facit* ratione ſolennium ibi receptorum ſtatuto loci tenetur *l. 2. C. quemadm. teſtam. aper. l. 44. §. 5. de legat. 1.* condere enim teſtamentum eſt voluntariæ jurisdictionis, cum reluctantes & invitos non obliget *l. 2. ff. d. offic. proconſul.* ea autem quæ de voluntaria ſunt jurisdictione forenſes comprehendunt. Et ita factum teſtamentum valet quoad bona domi & alibi ſita *arg. l. 6. d. eviction.* ita ut heres inſtitutus in omnibus jure optimo poſſit ſuccedere quamvis fortè in loco rei ſitæ major ſolennitas requiratur Joh. à Sande *rer. jud. tit. 1. def. 12.* quia quoad ſolennitates attenditur conſuetudo loci, in quo actus celebratur Gail. *lib. 2. obſ. 123. & 124.* Unde Coraſius *libr. d. jur. civil. in art. redig. c. 13.* ait: *Exterum, qui Venetiis aut Toloſæ teſtatur, earum urbium lege juvari, ut coram duobus aut tribus teſtibus teſtamentum jure conficiat.*

Th. XXXXIX.

Digitized by Google

Jus Albinagii in nonnullis locis in peregr. ſtatuitur.

Th. XXXXIX. Nonnullis tamen in regionibus ſi peregrinantes, qui planè non ſunt de Republicâ, decedunt, ſive teſtato ſive inteſtato bona eorum fiſco, uti fit in regno Galliæ, excluſis propinquis & legitimis heredibus, addicuntur, quod jus vocant *Jus Albinagii*, quod concernat alibi natos. *Sic verò egregiam hoſpitalitatem ac in exteros benevolentiam quam Salvianus jam olim in illis prædicavit, & Carolus Loyſeau referente Limnæo tantopere commendat, quæ merito Germanos ſtimulat, ut quaſi agmine facto in Galliam accurrant, & illam, ſicubi mori contigerit, experiri gaudeant. O nos miſeros & incautos, qui morientes ſervorum loco haberi, & omni ultimæ voluntatis arbitrio (cum tamen majus non ſit ſolatium fati, quam voluntas ultra fatum, juxta Lips. in præfat. ad Lect. l. 1. de cruce) privari inſuper habemus, dummodo viventes fictæ alicujus humanitatis officiis deliniamus* verba ſunt D. Schilteri *diſſert. d. jure peregrinor.* §. 22.

Peregr. delinquens fit ſubditus.

Th. L. Peregrinans *delinquens* in alicujus territorio, aut civitate, ratione iſtius delicti fit territorialis domini ſubditus; nam delictum dat juriſdictionem contra delinquentem, illi judici, qui alioquin non erat ipſius judex *cap. 1. X. d. raptor. l. 3. ff. d. re militar. l. 1. C. ubi Senat. vel clariſque.* Ibique obſervantur ſtatuta loci commiſſionis nec ſaltem cives, ſed & forenſes juxta illa puniuntur *l. 1. §. fin. ff. d. ventr. inſpic. l. 50. §. fin. ff. d. legat. 1.* Modò ſint ejuſmodi delicta per ſe & ſua natura turpia & punibilia, qualia ſunt adulterium, homicidium, furtum & ſimilia; Sin autem per ſe & ſua natura non ſint turpia & punibilia, v. gr. portare arma, pecuniam vel aurum extra territorium vehere, in peregrinantibus non poſſunt puniri, præſertim ſi juſtam allegare poſſint ignorantiam Alber. d. Roſate *tract. d. ſtatut. quæſt. 32.* Craſſa autem & ſupina ignorantia non excuſat *c. 2. d. conſtitut. in 6. & l. 9. §. 2. ff. d. J. & furt. ignor.*

Th. LI

Digitized by Google

Th. LI. Tandem ſi peregrinans in loco & territorio ubi alia viget religio, quam cujus ipſe eſt, *moritur*, ſi in Germania noſtra id accidit, honeſtam habebit ſepulturam; Nam juxta Inſtrumentum Pacis Osnabrugenſe *cap. 5.* §. *ſive autem Catholici ſive Augustanæ confeſſionis fuerint ſubditi &c.* ſive incola ſit, ſive peregrinus, modò ex tribus Religionibus, Pontificia nempe, Lutherana & Calviniana, quæ tres legibus publicis tolerantur, unam fuerit amplexus, honeſtè debet ſepeliri; ibi enim dicitur: *Multo minus publicis cæmeteriis honoreve ſepulturæ arceantur, aut quicquid pro exhibitione funeris à ſuperſtitibus exigatur, præter cujus parochialis Eccleſiæ jura pro mortuis pendi ſolita, ſed in his & ſimilibus pari cum concivibus jure habeantur æquali juſtitia protectioneve tuti.* De facto tamen Pontificios ne quidem in hortis aut paſcuis ſuis Evangelicorum demortuorum corpora ſepeliri permittere docet D. Zieglerus *ad Inſtit. Lancellott. lib. 4. tit. d. hæretic.* § 9. Evangelici verò Catholicos & Calviniſtas honeſta ſepultura dignos judicant, niſi quod funerum remiſſiores ſint ritus ac ceremoniæ conſuetæ, omniſque pompa remota, D. Carpzov. *Jurisprud. Conſiſtorial. p. 2. def. 383.*

Si moritur in territorio ubi alia viget Religio quam cujus eſt peregrinans.

Th. LII. Jura peregrinanti ob *abſentiam ſuam* competentia ſicco pede heic prætereunda non ſunt. Scilicet poteſt peregrinans abſens defendi à quibuscunque etiam ſine mandato *l. 2. l. 33.* §. *2. ff. d. procurator. l. 8.* §. *ult. d. præſcript. verb.* In ejus tamen præjudicium nil agere queunt præſentes *l. 1. & tot. tit. res inter alios. act. al. non nocer.* Gerenti autem non poteſt imputari culpa quod ſe immiſceat rei alienæ, cum negotiorum geſtione magna abſentium verſetur utilitas, ne indefenſi damno afficiantur quod exemplis *in l. 1. ff. d. negot. negot.* declaratur, magis enim præſumitur quis hoc modo officium, quod homo homini debet *l. 7. ff. d. ſerv. export.* implere, quam culpabiliter alienis rebus ſe immiſcere voluiſſe

Peregrinans poteſt defendi à quibuscunque ſine mandato.

Bachov.

Digitized by Google

Bachov, *in comment. ad ff. d. negot. geſt.* Schnobel. *diſſert. ad ff. 4. th. 25.* Et datur Domino ejusve heredibus adverſus gerentem actio negotiorum geſtorum directa ad conſequendum id, quicquid ille vel non ut opportuit, geſſit, vel ex iſtis negotiis retinet. Præſtat autem negotiorum geſtor modò dolum & latam culpam tantùm, modò etiam levem culpam, modò culpam leviſſimam. Dolum & latam culpam tantùm præſtat, ſi planè deſerta negotia fuerunt, ita ut ſi ille non ſucceſſerit, neceſſe fuiſſe, ea dilabi & perire *l. 3. §. 9. ff. d. neg. geſt.* In cæteris vero culpam levem, quia proprio & ſpontaneo motu negotiis gerendis ſe offert, & ad talem diligentiam, qualis in iisdem requiritur, præſtandam ſeſe obligat, atque ita tacitè idoneum ſi iſtis adminiſtrandis profitetur *l. 11. l. 31. §. 4. l. 32. ff. & l. 20. C. d. negot. geſt.* Nec ſolùm tenetur negotiorum geſtor ob geſta, ſed etiam ob ea, quæ non geſſit, gerere autem debuit *l. 6. §. ult. ff. d. neg. geſt.* Ad leviſſimam culpam obſtrictus tunc demum eſt, ſi alius diligentior erat geſturus *§. 1. Inſt. d. oblig. quæ quaſi ex contr.* in quam ſententiam inclinant D. Brunnem. *ad l. 20. C. negot. geſtis.* D. Præſes *in Colleg. public. ad l. 23. ff. d. Reg. Jur.* Debet ergo iſte negotiorum geſtor negotia ſemel in ſe ſuſcepta non ſolum in uno vel altero curare ſeu in iis diligentem eſſe, ſed tenetur etiam curare omnia, & ſi quid neglexerit, hoc ei imputabitur *l. 6. §. ult. ff. d. neg. geſt.* Neque ſi ſemel negotium ſuſcepit, eum oportet prius recedere, quam ſi negotium finitum ſit vid. *l. 17. §. 3. commodat.* Nonnunquam præſtat caſus fortuitos, caſus eſt in *l. 11. ff. d. neg. geſt.* Contraria actio geſtori datur, adverſus Dominum, cujus in abſentia geſſit negotia, modo utiliter geſſerit *l. 10. §. 1. ff. d. neg. geſt.* non tamen ſtatim quis inutiliter geſſit, ſi effectum non habuit negotium, modò utiliter ceperit.

Th. LIV. Peregrinans cujus abſentia probabilis eſt, non autem neceſſaria, ut in eo, qui abeſt causâ ſtudiorum, vel qui animum ſuum peregrinationibus excolere ſatagit, ſi non fuerit defenſus, appellando auditur *l. ab eo C. quomod. & quand. jud.* *Peregr. appellando audiendus eſt.*

Th. LV. Quando peregrinantis abſentia voluntaria & laudabilis eſt, & ſic favore digna, interim verò rei ſuæ familiaris jacturam patitur, dum ipſi abeſt quid propter uſucapionem ſeu præſcriptionem ab alio factam & completam, habet beneficium reſtitutionis in integrum *l. 28. ff. de reſtit. in tegr.* Hinc iis qui reipubl. cauſa peregrinantur & abſunt à jure proſpectum eſt, ut res eorum, atque jura, ſarta tecta ſerventur, & damnum in his paſſis reſtitutio detur *l. 1. pr. & t. t. ff. & C. ex quib. caus. maj. l. 9. ff. de legat. l. ab hoſtibus C. d. poſtlim. reverſ.* & quòd, licet in illorum bona miſſio ex primo decreto fieri poſſit, ſi non defendantur *l. 35. ff. de privil. credit. l. ignorare C. de reſtit. milit.* ſalva tamen illis maneat reſtitutio, de qua Oddus *quæſt. 68. art. 3.* neque ad ſecundum decretum, vel venditionem, procedi poſſit. *l. ignorare C. d. reſtit. milit. l. 6. §. 1. ff. ex quib. cauſ. in poſſ.* neque poſſeſſio auferatur *l. 35. ff. de privil. credit.* *Peregrinans ob abſentiam habet beneſ. reſt. in integr.*

Th. LVI. Peregrinans propter juſtam abſentiam impeditus quo minus delatam ſibi hereditatem adierit, ſi interim deceſſit, quamvis major fuerit, beneficium tamen reſtitutionis in integrum heredi relinquit, eum in finem, ut is hereditatem illam, quamvis non aditam, conſequatur *l. 30. pr. ff. d. acqu. hered.* Modeſt. Piſtor. *quæſt. illuſtr. p. 4. qu. 131. n. 250.* *Peregrinans moriens relinquit heredi beneſ. reſt. in integr.*

Th. LVII. Actio familiæ erciſcundæ non niſi ſemel intentari poteſt *l. ſi filia 20. §. 4. ff. famil. erciſc.* & ſi aliquid indiviſum remaneat, judicium communi dividundo locum habet Weſenb. *in ff. d. t. n. 7.* Illa tamen diviſio juri ejus qui pe- *Actio fam. herciſc. peregrinanti non præjudicat.*

 regrè

Digitized by Google

regrè abeſt & ſic rei ignarus eſt, minimè præjudicat, ſed hic portionem ſuam in ſingulis rebus communibus pro indiviſo retinet *l. 17. C. famil. herciſc.* inter alios enim acta aliis non nocent *t. t. int. al. act. &c.*

An & quamdiu ſponſa peregrinantem ſponſum teneatur expectare?

Th. LVIII. Accidit ſæpius ut ſponſus peregrinationibus operam dans diutius emaneat, ubi quæritur, *an & quamdiu ſponſa ipſum debeat expectare?* Reſpond. Sic certum expectandi tempus in ſponſalibus eſt præfixum, illud tenetur ſponſa expectare, ita exigitum, *l. 2. C. d. ſponſal.* de tempore biennii per pactum convento. ibi: *pactus eſt intra biennium* Salicet. *ad d. l. 2.* Sin autem de eo nihil ſit conventum & extra provinciam degat, tunc triennium videtur neceſſarium *l. 2. C. d. repud.* Si verò ſponſus habet neceſſarias ſuæ peregrinationis & abſentiæ cauſas, etiam quadriennium tenetur expectare & ultra *l. pen. ff. d. ſponſal.* vid. Finckelthauſ. *obſerv. u. n. 5. & ſeqq.* Si malitiosè abeſt, jura variant, jam de anno, de biennio, de triennio diverſis legibus loquuntur. Hinc diſtinguunt DD. vel ſponſus eſt intra provinciam, & tunc ſponſa non tenetur expectare ultra triennium. *Liberum eſt filiæ tuæ, ſi ſponſum ſuum poſt tres peregrinationis annos expectandum ſibi ultra non putet omiſſa ſpe hujus conjunctionis facere.* Si extra provinciam expectabit triennium per *l. 2. C. d. rep.* Uno verbo: Si ſpes redeundi decollat, totum nogotium judici permittendum erit, qui abſentiæ moram, cauſam, & ætatem puellæ conſiderabit, quæ in dubio, ultra annum non exſpectabit ſponſum Schneidew. *d. nupt. p. 4. n. 45.* Beuſt. *d. ſponſal. p. 1. n. 69.* Bidenbach. *d. cauſ. matrim. qu. 3.* Aveman. *Gamolog. Synoptica lib. 1. tit. 13. poſſ. 5.* Sanchez. *d. matrim. lib. 1. diſp. 54. n. 6.* Covarruv. *p. 1. c. 5. in pr.* & idem ſentit D. Brunnem. *ad l. 2. C. d. ſponſal. n. 7.* ibi: *Pro diverſitate circumſtantiarum de tempore abſentiæ ſtatuendum, ut de malitia & voluntate non revertendi per eas conſtet, ex quibus hac apparente vel an-*

annus ſufficit, add. Mevius *part. 3. deciſ. 7.* Arniſæ. *d. jure connub. cap. 6. ſect. 7. n. 28.*

Th. LIX. Cæterum omnia quæ de abſentibus dicuntur, quæque in eorum favorem conſtituta ſunt, licet ſuo modo applicare ad conditionem peregrinantium. Sic peregrinanti abſentiam ſupplet præſentia Prætoris vel interventus honeſtarum perſonarum, quas nemo poſſit credere dolum vel fraudem participaſſe *l. 2. C. quemadm. teſtam. aper. l. 35. C. d. transact.* Neque contra reum definitivè proceditur ita ut aut condemnetur, aut abſolvatur, ſi culpa non liquet Judici, ſed contra eum miſſio in bonorum poſſeſſionem inſtituitur, ſi verò culpa actoris non liquet, tunc abſolvitur Paul. de Caſtrens. *ad l. properandum §. ſin autem reus C. d. judic.* Neque contra peregrinantem in cauſa criminali teſtes examinari poſſunt in perpetuam rei memoriam Clar. *ad §. fin. qu. 44. in pr. verſic. & hoc adeo verum.* Abſentiæ cauſa allegari poteſt per quemvis, & admittendus eſt etiam is, qui abſentem etiam ignorantem excuſat, nec opus eſt mandato, modò ſit juſta abſentiæ cauſa Menoch. *d. arbitr. judic. quæſt. lib. 1. c. 80. n. 68.* Et quæ ſunt longè plura.

Quæ de abſentibus ſtatuta ſunt, etiam peregrinantibus accommodari poſſunt.

Th. LX. Deveniendum jam eſt ad *Affinia.* Ad quæ refertur *Exilium.* Exilii nomen commune quid eſt, tam late patens, ut præter deportationem, relegationem quoque & interdictum comprehendat, vid. Anth. Matthæi *ad lib. 48. ff. d. pæn. c. 1.* ideoque cum deportatis ac bannitis & interdicti & relegati exules vocantur, quia omnes extra ſolum miſſi, ſive patrio ſolo pulſi ſunt Franciſc. Duar. *l. 1. diſput. anniverſ. c. 37.* In genere exilium aut *voluntarium* eſt, aut *coactum* ſ. *neceſſarium.* *Voluntarium* eſt, quod mali cujusdam imminentis vitandi cauſa ſuſcipitur, quale fuit Chriſti ſervatoris noſtri fugientis in Ægyptum, Scipionis Africani aliorumque. *Coactum* eſt vel *miſerabile*, vel *vituperabile.* *Miſerabile* eſt quod præter

Ad Affinia pertinet Exilium.

Digitized by Google

culpam patientis plerumque ſub religionis odio, vel alterius cauſæ prætextu, aut adverſarium potentiâ irrogatur. Rennem. *in Juriſpr. Rom. Germ. membr. 1. d. jure perſon. diſp. 3. th. 26. lit. C.* *Vituperabile* eſt, quod pœnæ loco ob delictum vel culpam imponitur, cujus ſpeciem Marcellus *in l. 5. ff. d. interdict. & releg.* triplicem facit, aut certorum locorum interdictionem, aut latam fugam, ut omnibus locis interdicatur, præter certum locum, aut inſulæ vinculum, i. e. relegationem in inſulam. Qui hoc modo in exilio ſunt, ſive ad tempus, ſive in perpetuum, & civitatem Romanam, & teſtamenti factionem, nec non patriam poteſtatem retinent *l. 7. d. 3. l. 18. d. interd. & releg.* interim tamen locis interdictis abſtinere debent, *l. 4. l. 28. §. 13. ff. d. pœn.* Exilio neceſſario quodammodo æquiparatur migratio à Magiſtratu impoſita, quando Magiſtratus ſubditis propter delictum venditionem bonorum & migrationem ex certo loco imponit, Mevius *ad Jus Lubec. lib. 1. th. 1. art. 6. n. 28.* In miſerabili verſantes exilio, ejecti ſunt vel per *vim Superioris*, vel *propter religionis diſſidium.* Illis æquiparantur, qui per oſtraciſmum expulſi ſunt Ariſtot. *lib. 3. Polit.* Arniſæ. *d. Republ. lib. 2. c. 7. ſect. 2.* Qui propter religionem migrare neceſſe habent, iis tranſitus per territorium denegari nequit, & ab aliis quoque territorii dominis habitatio concedi debet, Grot. *d. jur. b. & p. lib. 3. c. 20. §. 41.* De Guſtavo Adolpho glorioſæ memoriæ Svecorum Rege immortali cum laude refertur, quod multos domo profugos & religionis cauſa ex variis regionibus diſcedentes publico Edicto regni ſui ſedes vacuas occupare juſſerit Gothofr. Schulz. *Chronic. ad ann. 1627.* Et orbi notum eſt, Sereniſſimos Saxoniæ Duces exulibus propter Evangelium ejectis ſplendidisſima contuliſſe beneficia. Reſtituti verò aliquando non ſolùm jura priſtina, ſed etiam omnia bona amiſſa & in fiſcum reducta exules vi plenariæ reſtitutionis repetunt. *arg. l. 1. C. d. ſen-*

Digitized by Google

d. ſentent. paſſ. & reſtit. plura qui de exulibus deſiderat, vid. Diſſert. D. Linckii *d. jur. exul. part. 2.*

Th. LXI. Affinibus annumeratur *Fugitivi*, vid. D. Præſes *prolixa in Diſſert. d. fuga.* Item vagabundi, vid. *Diſſert.* D. Mylii *de jure vagabundorum.* Item *Peregrinantes ad loca ſancta*, vel ſanctorum baſilicas, Wallfahrter / quales peregrinationes pœnæ vel meritorum loco imponuntur *c. ſi quis Romipetas 23. c. 24. q. 5.* & nervi indulgentiarum papalium ſunt, Chemnit. *in exam. Concil. Trident. p. 4. d. indulgent. c. 4.* De jure Canonico ejusmodi peregrinantes exiſtunt in tutela ſummi pontificis *c. innovamus 2. X. d. treug. & pac. c. un. X. d. peregrin.* Et Clemens VI. in bullis indulgentiarum ipſis angelis præcepit, ut peregrinantium animas, ſi in itinere evolarent, ſtatim in Paradiſum transferrent, teſte Chemnit. *d. l.* & quod mariti, licet conjuges alterutro invito religionis votum aſſumere nequeant, nihilominus præter uxoris conſenſum peregrinationi vacare, eamque liberè implere poſſint Lancellot. *lib. 2. Inſtit. Jur. Canon. tit. d. divort. 16. §. licet autem 15.* & quòd illi qui peregrinantes ſpoliarunt, excommunicentur *c. ſi quis Romipetas 23. cum can. ſeq. c. 24. q. 3.* D. Linck. *d. l. th. 14.* plura vide apud Gerhard. *in confeſſ. Catholic. lib. 2. p. 3.*

Fugitivi, Vagabundi, Peregrinantes ad loca ſancta.

Th. LX. Jam ad *Contraria* nobis pergendum eſt: Ad illa referimus *Reditum.* Ubi multa quidem ex politicis monita poſſent afferri, paucis tamen illud notare lubeat; Reverſum ex peregrinationibus præſertim longinquis & ad populos exoticos inſtitutis factisque præ ſe ferre decere animum benè compoſitum, non variis ridiculisque moribus imbutum ut conſtet peregrinationem ſobriè & modicè inſtitutam fuiſſe, finesque obtinuiſſe legitimum, ne de ipſo prædicari queat, quod Heiderus *lib. 1. polit. d. util. polit.* habet: *Qui ſuis in peregrinationibus montes ac valles transcurrunt, maria, & flumina trajiciunt, & omnes orbis terrarum angulos perreptant,*

Reverſus ex peregrinatione quomodo ſe gerat.

ptant, non alio ſine, quàm ut ſaltem oculos urbium, palatiorum, animantium, & hominum ſpectaculis paſcant, ut in Sphariſteriis tractare diſcant reticula, ut gulæ captent illecebras, ut meretricularum lethale mulſum deguſtent, neque diu cum abſuerint, domum aliud quicquam referunt, quam inanes loculos, quam corpora pallida, macilenta, verminantia, quam conſcientiam mille ſceleribus onuſtam, quàm veſtes inſolitas, mores hiſtrionicos, ſuperbam ſtultitiam, voculas peregrinas, vix unam atque alteram, denique patriæ contemtum, illi multo minoris, quam omnes μαμμόθρεπτοι, qui pedem extra patriæ portas nunquam extulerunt, faciendi ſunt. Ad quos pertinet illud Horatii:

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

In peregrinis oris ad falſam religionem ſeductus quomodo ad recipiſcentiam reducendus?

Th. LXIII. Quid ſi quis dum in peregrinatione eſſet, dogmatibus fidei non ita probè inſtructus peregrinis in oris ad hæreſin, imò ad abominandam religionis ſectam fuerit ſeductus, ac res manifeſtetur, Magiſtratus omnem dabit operam, quo ad ſaniorem mentem reducatur, quam in rem facit Magnificæ Facultatis Juridicæ in hac Salana reſponſum in an. 1678. menſ. Aug. Daß ſo viel den Ellenbach betrifft/ zuforderſt zu vernehmen/ob und wie er zu Abtretung von der Chriſtlichen Religion (nam Mahumetanam fuerat amplexus) gedien/ob er ſich darzu angeben / oder wie und welcher geſtalt er darzu getrungen worden / ob er ſich beſchneiden laſſen / ob er nit gemeinet geweſen hierbey zu verbleiben/ oder warum er denn nicht eher von ſolchem angenommenen Glauben abgewichen/ſeine Buße erwieſen / und zum Chriſtenthum hinwieder ſich begeben/darneben iſt er von deinen Geiſtlichen zu beſuchen / und bedürffenden Falls treulich zu unterrichten / ſein ſchwerer Sünden-Fall ihm vor Augen zu ſtellen/ob er zu dem vorher erkanten und bekanten oder nochmahls verläugneten Chriſtlichen Glauben hinwieder zutreten geſonnen ſey / wenn ſie nun bey ihm wahre Reu und Leid verſpüren/ und er

Ellen-

Digitized by Google

Ellenbach vor offentlicher Chriſtlicher Verſammlung ſeinen ſchweren Sünden Fall bekennen / gewöhnliche Kirchen-Buße ablegen / darbey die angenommene Mahumetiſche Lehr und Glauben wiederruffen / und alſo zum Chriſtenthum wieder würcklich getreten/ und angenommen / auch wie ſolches alles geſchehen ad Acta bracht werden wird/ſo ergehet ferner etc.

Th. LXIV. Quæ autem ſupra dictum ſunt de beneficio reſtitutionis in integrum, illa ſic accipienda ſunt, ut non ſolùm reverſis viris detur id beneficium, ſed etiam uxoribus, quarum mariti reipubl. cauſa abſunt & peregrinantur, de qua materia titulus eſt in *C. d. uxorib. milit.* non quod mulieres propriè abſint reipublicæ cauſa Gloſſ. *in l. 1. verb. ad exempl. C. d. uxor. milit.* cùm munera reipublicæ publica non ſuſtineant, *l. 2. ff. d. R. J.* illis tamen, quæ cum maritis reipublicæ cauſa abſentibus peregrinantur, & abſunt, ad exemplum militum & abſentium reipublicæ cauſa ſubveniri ſolet, ſi interim per abſentiam aliquid damni fecerint *l. 1. 2. C. d. uxor. milit.* ut quibus officium publicum non debet eſſe damno, non ſit etiam uxoribus eorum, quando præterea pro eadem perſonâ cum maritis habeantur *c. admonere 33. q. 2.*

Reverſus ad actionem ipſo jure amiſſam reſtituitur.

LXV. *& ultimo.* Tandem claudat hanc Diſſertationem hoc notabile: Quod qui naſcitur, ex parentibus ſalvo civitatis jure peregrinantibus, civis naſcitur non ex ejus civitatis, in qua mater caſu fortuito peperit, ſed in qua pater domicilium fovet, & in qua reverſis à peregrinatione parentibus natus eſſet: fingitur itaque natus in civitate, ubi mater fingitur eſſe *arg. l. 26. ff. d. capt. & poſtlim. revers.* Actus naſcendi, quando mater fortuito caſu abeſt, non facit indigenam, ſed jus naſcendi, i. e. ubi jure naſci debuiſſet *arg. l. 3. ad municip.* ibique Cujac. Paul. Caſtrenſis in *l. 84. §. 10. d. legat. 1.* mentionem facit ſtatuti obſervatione digni, quod Bononiæ aliis-

Digitized by Google

aliiſque in urbibus Italiæ vigorem habere dicit, eoque cautum eſſe, quod nullus Doctor poſſit eſſe de Collegio Juriſconſultorum aut Medicorum, qui non originarius civis, at ſi mater caſualiter abſit & pariat, filium tum fieri natum in civitate, ubi matrem fuiſſe fingitur, nempe Bononia.

TANTUM!

SUPERPONDIUM
EX JURE
HUNGARICO.

MEritò religione quaſi quâdam in Leges Patrias adigor, ut ex Conſtitutionibus Divorum Regum, quibus exteros, Hoſpites, Peregrinantes, abſentesque benigniſſimè proſecuti ſunt ſaltim Corollarii loco quædam ad ponam. Beneficus hic in Hoſpites favor ſtatim ab exordio Regni multum eminuit in S. STEPHANO Primo Rege & Apoſtolo Hungariæ, qui in ſuis ad Petrum ſucceſſorem Decretis *lib. I. cap. 6.* viros advenas multis eidem, iiſque gravibus rationibus commendat. Verba Decr. adſcribere placet. *In Hoſpitalibus*, inquit, *& adventitiis viris tanta ineſt utilitas, ut dignè ſexto in regalis dignitatis loco poſſit haberi; Unde imprimis Romanum crevit imperium, Romanique Reges ſublimati fuere & glorioſi, niſi quod multi nobiles & ſapientes ex diverſis illac confluebant partibus. Roma vero usque hodie eſſet ancilla, niſi Æneades ipſam feciſſet liberam. Sicut enim ex diverſis partibus provinciarum veniunt hoſpites; ita diverſas linguas & conſuetudines, diverſaque documenta & arma ſecum ducunt, quæ omnia regiam ornant & magnificant aulam, & perterritant exterorum arrogantiam. Nam unius lingua uniusque mortalis Regnum imbecille ac fragile eſt. Propterea jubeo te, Fili mi, ut bona voluntate ipſos nutrias,*

trias, & honeſtè teneas, ut tecum libentius degant quam alicubi habitent. Si enim Tu deſtruere, quod ædificavi; aut diſſipare quod congregavi, ſtudueris, ſine dubio maximum detrimentum regnum tuum patietur. Quod ne fiat, Tuum quotidie auge regnum, ut tua Corona ab omnibus habeatur. Sapienter Divus rex hoſpitalitatem ſucceſſori lege & exemplo, ſi ſequeretur, injunxit, id quod de Romanis Cic. *de Offic. lib. 2.* teſtatur, dicendo: *Eſt (ut mihi quidem videtur) valde decorum patere domos hominum Illuſtrium illuſtribus hoſpitibus, idque etiam Reip. eſt ornamento homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere. Eſt enim vehementer utile illis qui honeſtè poſſe multa volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus & gratia.* Verum quam iniquus præſcripti paterni obſervator *Petrus* fuerit, poſtea referetur. Idem S. Stephanus cum ſingulare ac nimium ſuorum in hoſpites ſtudium cerneret, indignum putavit vetus hoſpitium invito Nutritore deſerere, eosque qui id facerent, ferè non aliqua ingratitudinis nota inſignire videtur *2. Decr. 22.* Textum ipſum quoniam non ubivis obvius eſt ſubnectimus. *Si quis hoſpitem cum benevolentia accipit & nutrimentum ſibi honeſte impendit, quamdiu ſecundum propoſitum nutritur, non deſerat ſuum Nutritorem & nec ad aliquem alium ſuam deferat hoſpitalitatem.* Benignos fuiſſe & reliquos non exigua ſerie ſibi ſuccedentes Reges in hoſpites Hiſtoriæ paſſim teſtantur. Unde ANDREÆ I. id maximè fuit ſalutare, qui Henricum III. Imper. ab occupatione Regni per hoſpitem felici aſtu remoratus eſt. Vid. Ant. Bonfin. *Rer. Hung. Dec. II. Lib. 2. p. m. 200. 21.* & *Salomoni* Regi tutiſſimum fuit refugium apud & cum Alemannis educari Bonfin. *L. cit. p. m. 202. & Lib. 3. p. 204.* Quem Prædeceſſorum ſuorum favorem poſtea decretis ſuis firmavit Optimus Hungarorum Rex Andreas II. Hieroſolym. *Decr. un. art. 17.* h. m. decernendo: *Hoſpites cujuscunque nationis*

ſecundum libertatem ab initio eis conceſſam teneantur. Fruuntur igitur Exteri & hodienum apud nos omnigena libertate & humanitate, quam ſtatim limitibus noſtris appropinquantes experiuntur. Hinc ingredientes fines noſtros Liberi ſcilicet hoſpites. Secus de negotiatoribus, qui lucri cauſa proficiſcuntur *I. Decr. Coloman. c.33.* pro libertate tantùm (Salvo ſcil. conductu) denarios; non pro aliis rebus ſolvunt *argum. I. Decr. Colomani cap. 79.* Conſtituti vero in territorio, patriis, (ut non minus par & æquum eſt *Grotius de J. B. & P. Lib. 2. c. 11. §. 5.*) legibus vivere jubentur à Divo *Uladislao. II.* Bojoemo altero Juſtiniano & Legum Hungaricarum Conditore, addito illo Epiphonemate: *Cum fueris Romæ, romano vivito more Vid. Conſuet. Regn. Hung. Trip. part. 2. Tit. 5.* diverſo tamen ab Indigenis privilegio. Nam cum de Jure Naturæ & Gentium in expedito ſit, eos, qui ad breve tempus nobiſcum commorantur, ad actus civitatis qua talis minimè obſtrictos eſſe. Vid. Puffendorf. *Elem. Jurisprd. Lib. I. def. 12.* & ob id ipſum (parum enim ad eos) facilè ſtatuta noſtra ignorare videantur; æquitate motus *Uladislaus* ſequens privilegium Exteris clementer indulſit. *Poſtea*, inquit, *ligant* (ſcil. ſtatuta) *omnes qui Jurisdictioni & territorio principis ſubjecti ſunt & non ſolum hos verum etiam omnes exteros. Sed tamen ſi conſtitutio ad pœnam & damnum poſita eſſet; tunc peregrinis tres menſes conceduntur, ut ſic tale tempus iis loco publicationis ſtatutorum ſit*, & paulo poſt. *Si vero conſtitutio non ad pœnam aut damnum poſita eſſet; ſed ſolummodo alias aliquod jus, aut actionem, vel quomodo in rebus judicialiter procedi debeat, in ſe contineret tum exteris unus tantum menſis conceditur. Alias vero cujuscunque dignitatis ſtatus aut præeminentiæ quis fuerit ſufficit tempus promulgationis ſtatutorum. Et taliter neque Regnicolis neque Peregrinis parcitur aut excuſantur Vid. pluribus L. c. per t.* Nec contenta eſt Regum noſtrorum clementia peregrinos à pœ-

nis

nis & damnis eximere; verum etiam id, quod publica lege prohibuerunt, ſi requirantur ab hoſpitibus iis indulgere velle benignè ſtatuunt. *II. Decr. S. Ladiſlai. cap. ult.* verba ſunt. *Hoſpes ex aliis regionibus pro equo emendo vel aliis rebus negotiandis ſi venerit, cum nuncio ejusdem Confinii Comitis ad Regem eat, & per licentiam regis, quicquid & quantum ei conceſſum fuerit coram priſtaldo Regis emat.* Prohibuerat autem S. Rex venditionem quarundam rerum in prioribus capitibus ſub pœna furti. Hoſpites tamen nihilominus tale quid delinquentes favorabiliter à pœna eximit *Vid. L. cit. cap. 16.* inquiens. *Et ſi reus extiterit ſicut fur pœniteat; ſin autem liber & hoſpes evaſerit, ſed equum, quem abduxit, amittat.* Jure igitur Gentium omnimode nobiſcum contrahere cum ſpeciali civitatis noſtræ favore & privilegio peregrinis permiſſum eſt, nec id ſolummodo; ſed & in omnibus cauſis civilibus, quæ debita, credita reliquasque negotiationes concernunt, ſine diſcrimine cum civibus legitimi teſtes adhibentur. Except. in cauſis jurium poſſeſſionariorum & hæreditariarum, ubi ob minorem cognitionem rerum diu in judiciis agitari ſolitarum præ civibus ad teſtimonium non admittuntur. *Vid. Conſuet. Regn. Hung. Trip. part. 3. Tit. 12. per totum.* Præterea nec matrimonia cum noſtratibus contrahere vetantur, & ſi iis placet dies vitæ nobiſcum tranſigere & res poſſidere poſſunt. *argum. 1. Colomani cap. 34. part. alt. Si quis hoſpitum terram civium noſtrorum inhabitet &c.* imò & civitatem facili negotio adipiſcuntur etiam inter ipſos ſtatus cooptantur. Quod benignitas ſacratiſſimi noſtri LEOPOLDI abunde teſtatur. Vide Noviſſimos Articulos de Hominibus Italis, Bohemis & Auſtralibus in numerum ſtatuum receptis. Item liberrimè cum rebus ſuis diſponunt & teſtamenta condunt. *Argum. II. Decr. Colom. c. 28. Si quis Hoſpitum Canonicæ regulæ ſe ſponte ſubdiderit, nihil ad filium ejus pertineat, niſi forte & ipſe idem voluerit.* Alia quoque

 mul-

Digitized by Google

multa Peregrinis favorabilia veteribus conſtitutionibus continentur, quæ omnia enumerare nimium prolixa, maximè cum noviſſimæ Regum conſtitutiones ad manus non ſint, ſuperflua cenſemus. Circa Clericos peregrinantes Conſtitutiones Regum Hung. cum ſacris Canonibus ad amuſſim convenire videntur. Ita enim S. Ladiſlaus *I. Decr. c.17.* ſtatuit. *Si quis hoſpes Clericus in hanc Patriam ſine commendatitiis literis Epiſcopi ſui venerit, ne forte monachus ac homicida fuerit, vixque alicujus ordinis ſe confeſſus fuerit, judicio vel teſtimonio diſcutiatur.* Idem ferè Colomanus *I. Decr. c.3.* *Alienigena Presbyter vel diaconus cum commendaditiis literis recipiatur, qui vero hactenus recepti ſunt, ſi jure venerint examinentur, quatenus de quibus aliqua aures noſtras pulſat infamia, hi ab officio ceſſent, donec vel à judicio purgentur vel de terra eliminentur.* Et *II. Decr. Colom. cap. 21.* *Hoſpites Clerici qui de alienis partibus venerint aut legitimos teſtes producant, aut vadant, aut redeant, niſi cum formata.* Vid. *Dn. Schilter. in Inſtit. Jur. Can. Lib. I. Tit. 19. §. 4.* Sublata eſt & inquiſitio quæ inſtituta fuit tumultuariis Comitiis in agro Peſthano (Rakos dicto) inſtigante maximè Clero Romano, quibus cavebatur, ut *Lutherani Comburantur.* Confluentibus tum temporis undiquaque peregrinis Clericis Evangelium Chriſti propagantibus à *Divo Ferdinando I. in Articulis.* Videndum jam paucis ſpectatis hoſpitibus, quid Clementiſſimus Regum favor nobis exeuntibus & abſentibus indulgeat. Veniam igitur à Regibus impetremus neceſſe eſt. Patet id ex *I. Decr. Colom. cap. antepenult.* *Exgreſſuri* inquit *de Hungaria à Theolonariis tam Regis quam Comitis qui exitus tenent ſigillum quærant pro Theolonitariis, quod Theolonitarius Regis ab una parte eum ſigillo comprimat, ab altera parte Theolonitarius figuram comitis ſui concludat. Si quis absque tali ſigillo tentaverit egredi vel legis prævaricator unam penſam ſolvat.* ſcilicet ut non in-

Digitized by Google

inſuiſſe conjicimus, ut abſentia noſtra Regibus innoteſcat, nos bona eorum voluntate abeſſe, & ob id ipſum privilegio abſentium fruamur. Privilegium autem eſt omnium actionum quæ interea temporis nobis intenduntur prorogatio quæ fit tribus terminis Octavalibus. Octavæ autem ſunt Judicia Generalia Semeſtria in Feſto B. Lucæ & Michaelis celebrari ſolita, docente Johan. Kithonich. *in Proceſſ. Jud. Regn. Hung. cap. 1.* Conſ. V. Decret. Matthiæ Corv. *cap. 4.* Vid. & Stylus in Octav. Anton. Bonfin. hac de re ita ſcribit. *Rerum Hung. Dec. IV. Lib. VII. Ad intercipienda litigantium ſubterfugia Octavarum tempore prorogationes Regiæ Majeſtatis abolitæ, niſi qui vel peregrè profecti, vel in caſtris muneribusque publicis occupati fuerint. His in tribus tantum Octavis indultæ prorogationes in quartis autem cauſas definire coguntur.* Idem reperitur *V. Decret. Matth. Corv. cap. 9.* Ex hoc, ut cernitur, Matthias Rex eos Jure militum gaudere vult, iisque per omnia abſentes adæquat. Exceptionem tamen videre eſt in cap. ſequ. 10. de quo & Bonfinius in *loc. ſupr. cit. Quin etiam* inquit *abſentibus quibus Parentes fratresque, domi una viventes fuerint, exceptio iſta nil ſuffragatur, prorogationes autem pro abſentibus falſo impetrantibus vel allegantibus, emenda linguæ, propoſita.* Tenentur ergo Parentes fratresque abſentem defendere & juri pro eo ſtare. Patet jam quanta æquitate ſimul & favore Leges noſtræ utroſque tam hoſpites quam abſentes proſequantur, quod merito laudandum eſt in benè conſtituta Republica, ſi res in ſuo æquilibrio perſiſtat. Verum enim verè benignitas hæc regum, ut ſupra de Petro quodammodo indigitatum eſt, nimium quantum exceſſit. De eo ita Bonfinius *Rer. Hung. Dec. II. Lib. 2. ab init. Regno* inquit *potitus eo inſolentia evectum ferunt ut non tam ex genere, quam Teuthonum moribus cuncta geſſiſſe videretur. Se namque è rege creato, intolerabilam Tyrannum exhibuit, neque divi*

 Avun-

Avunculi veſtigia ſectari , neque regiæ Majeſtatis officium cum decoro ſervare ſtuduit. A principio nobiliſſimum quemque habere ludibrio, intumeſcere ſuperbia plus quam barbara. Alemannis plus æquo credere, gerere cuncta eorum arbitrio, ſuos aſpernari, & habere pro ſervis , magnifacere peregrinos & externis usque quaque blandiri. Arcibus ac oppidis Teuthonum præſidia cunctis imponere, ex his quoque creare Magiſtratus & ſibi cuſtodiam adhibere, peculiarem populum abominari. Et paulo poſt: *Contra rex optima conſilia ſpernere & præ inſolenti levitate interminari, ſe niſi, monitis abſtinerent quæ ex ingenita iniquitate ac Scythica improbitate darent, eo indignationis evaſurum, ut potiſſimos ordines item perfecturas & magiſtratus omnes Teutonica tantum gente compleret ut, ne minima quidem Ungari domi militiæque gererent; imo eorum in ſe poteſtatem univerſam Pannoniam redacturum. Ad poſtremum illud adjicere Ungaricam idcirco nominatam, quia perpetuo angore angi oporteret.* Conf. & Michael. Ritium *de Reg. Hung. Lib. 2.* De *Sigismundo* non obſcurè conjicitur eum quoque in adminiſtranda Hungaria multum tribuiſſe exterorum conſiliis. Maximè autem ex ſumta de 30. Hungariæ Proceribus vindicta an ſævitia concluditur, ubi Generoſi Hedervarii armiger cæſorum agmen claudens palam Imperatorem, gratiam offerentem perſtringit. *Se malle,* inquit, *in mille partes diſcerpi, quam à magnanimitate heri ſui deſciſcere, cui omnes Boemi parem animum præſtare non poſſent.* Vid. Bonfin. *Dec. III. Lib. 2. p. m. 376.* procul dubio, quod Boemi acceptiores eidem præ Hungaris forent. Cum igitur exteri, indulgentia Regum ſeſe inſolenter gererent, pro gratia ingratitudinem Civibus retribuerent, cum que favorem regnum aucupati, ſummas quasque dignitates ambirent, ob procerum querimonias variis poſthac conſtitutionibus ambitio hoſpitum coercita fuit, ſpesque tam facile adipiſcendarum dignitatum abſciſſa *Decret. Andreæ Hieroſol. art. 12. Si hoſpites*

vidi

Digitized by Google

videlicet boni homines ad regnum venerint, ſine conſilio regni ad dignitates non promoveantur & Decret. Alberti Regis *art. 4. Item alienis & forenſibus hominibus cujuscunq; nationis & lingua-gii exiſtant, officia in ipſo regno noſtro non committemus, nec caſtra fortalitia, metas, poſſeſſiones, honores, Prælaturas, Baronias, Comitatus vel quascunque Eccleſiaſticas vel ſeculares dignitates ad tempus vel ad perpetuum extraneis & forenſibus niſi hominibus Hungaris concedemus. Quodque Prælati & Barones homines extraneos & forenſes non conſervent* & *art. 14.* ibid. *Item honores ſeculares abſque quolibet conſilio hominibus iſtius regni Hungariæ & non advenis liberum arbitrium conferendi & ab iisdem auferendi habeamus.* Id quod etiam in provinciis regno adnexis & bello quæſitis. *Infr. art. 22.* Cumque ab multitudinem hoſpitum aulas regum noſtrorum inviſentium Proceribus noſtris hoſpitalitati aſuetis reges liberaliter eos alendos imponerent & hoſpitium bonæ voluntatis ferè in militaris ſpeciem tranſire videretur, errorem hunc idem Albertus correxit *l. c. art. 17. Violentas*, inquit, *exactiones, procurationes hoſpitalitatum & alias quascunque aggravationes præter voluntatem invitantium non faciemus nec fieri permittemus.* Vid. & ſupra cit. *art. 4. in fin.* Sed cum nec hæ conſtitutiones pondus ſuum obtinerent Eliſabetha, ſciſſa in partes Hungaria, poſſesſiones Boemis liberaliter concedente, qui duce Giſcra erectis in ſolo donato Caſtellis Regnum longis retro annis, impii hoſpites miſerè depopularentur. Vide *Bonfin. & Script. Hung. paſſim.* cumque ipſum Guberinum regni affectarent; & ob id, vitæ procerum indigenarum inſidiarentur Vid. de Comite Ciliæ in Corvinum Gubernatorem *Bonfin. Dec. III. Lib. 2.* proceres ſibi ſuisque gravioribus Conſtitutionibus proſpexêre. Hinc regibus libertas dignitates exteris conferendi planè adempta Vid. Decret. Michaelis Zylagii Gubernat. Hung. Nomine Matthiæ Corvini pupilli *art. 7. Item quod Dominus Rex neque dignitates Eccleſiaſticas , nec alios hono-*

Digitized by Google

honores, *officiolatus*, *perpetuitates hominibus extraneis dare vel conferre valeat.* Donationes quoque regales extraneis conferre prohibitæ. (Sunt autem Donationes regiæ juris noſtri vocabulo quæ Latio Feuda appellantur) ſequ. art. 8. *Quod bona extraneis collata recuperare, Idem de Caſtris & aliis bonis extraneis hominibus donatis rex faciat recuperationem.* Sed nec ipſe Matthias, optimus alias rex, boni Tutoris leges adimplevit. Giſcram enim Boeum victum poſſeſſionibus donavit vid. Bonfin. *Dec. III. Lib. 10. p. 30.* & Johanni Arragonio ipſum Regni primarum conceſſit Vid. Dec. IV. Lib. 6. p. 616. De eo porrò ſcribit Bonfinius l. c. Lib. 8. p. 653. *Sed Beatricis adventu facilitas ejus & popularitas multo remiſſior effecta* & Lib. 7. p. 631. *Contra Hungari hæc omnia ægrè ferre, inſanos damnare ſumptus, regiam Majeſt. quotidie incuſare quod pecunias ludibrio haberet, vectigalia ad meliores uſus inſtituta in res futiles vanasque erogaret, à priſcorum regum parſimonia & frugalitate deſciſceret, patrios & ſeveros mores exueret, aboleret antiquos ritus & ad Latinas imò Gotalanicas delicias effœminatosque mores transfugeret.* Et paulo poſt: *Exteros non modo aurum ſed principis indulgentia univerſum quotidie regnum populari, multa quoque obliqui & in malam partem accipere.* Muſſitabant ergo, Hungarici Proceres, ac hodienum quamvis ſupradictæ Conſtitutiones quibusvis ferè Comitiis novis ſanctionibus absque tamen juris effectu repetantur, habent profectò Status Hungarici quod muſſitent.

TANTUM.

Digitized by Google